REGIMINIS

ANGLICANI

IN HIBERNIA DEFENSIO,

Adversus Analecten.

LIBRI TRES.

AVTORE THO: RYVIO I.C.
Regis Advocato.

ESAI. 32. VER. 8.
Princeps ea, quæ digna sunt Principe, cogitabit.

LONDINI,
Excus. pro *Iohanne Bartlet.* Ann. Dom. 1624.

SERENISSIMO
POTENTISSIMOQVE
DOMINO
CHAROLO
WALLIÆ PRINCIPI.

MInoa Regem, ſereniſsime Princeps, Iovis ſceptro, id eſt, divino quodam animi conſilio & ſanctiſsima diſciplina Cretæ regnum gubernâſſe, teſtatur Heſiodus. De quo tamen poſtea ferebatur fabula, rudem eum, agreſtémque & ferum, & ab omni humanitate vixiſſe alienum. Cauſam verò quærenti, apud Platonem, reſpondet Socrates, non aliam fuiſſe, quàm quod Poetas tragicos offendiſſet. Habent, Clementiſsime Princeps, cum poetis tragicis hoc commune Romani altaris Sacerdotes, ut ſi quis eorum

Plat. in Minoe.

rationibus obstiterit, nullis ille unquam, vel in rem populi publicam, vel in universum humanum genus collatis beneficiis, ab eorum iniuriis vel immunis vivat, vel quiescat mortuus. Famam lædunt, nec lingua contenti, stilo pugnant, & in futurum longissimè prospiciunt, ne quos ipsi oderint, aliis in amore aliquando fuisse existimentur. Exemplo fuerit, mitissimus Regum, iustissimus mortalium, sapientissimus Pater tuus, Hiberniæ Parens, Dominus noster, Iacobus Rex. Quis enim unquam Princeps, tot tantaque in suum populum bona contulisse prædicatur, ut non multò & plura & diviniora à Salomone suo accepisse se, Hibernia glorietur? Leges, mores, mulas, rerum copiam, & quod nulli unquam Annales dederunt prodiderunt, vere Halcyonios, viginti iam et amplius annorum, dies. At Romanorū sacerdotum offecit commodis, & offendit animos. Hinc adversi sermones, hinc infames libelli, & nefaria illa, à sacerdote Romano, iam pridem in Hibernia, commenta edita: Quæ quoniam indignissimos hominū rumores, adversus iustissimū Principis imperium collectos continent, ex re, Analecta nuncupantur. Hæc sunt,

ô Iuvenũ, quotquot ſol aſpicit, Prudentiſſime, militiæ tuæ, ſub patre duce, rudimenta: quæquò duriora tibi, ineunte ætate contigerũt, eò te, ad futura, ubi vitari poſſunt, magis cautũ, ubi non poſſunt, magis fortẽ & conſtantẽ præſtare debent; ſed ante omnia, meminiſſe debes, iſtud genus dæmoniorũ, non eiici, niſi per contemptum. Et horum quidem Analectorum, ego, cùm in Hibernia, Regis miniſter olim degerem, refutationem adornavi. Eam vero nunc, Celſitudini veſtræ, tempore, ut certè puto, maximè ſuo, ſupplex offero. Tu modo eam, clementiſſime Principum, clementèr ſuſcipe: tuo enim fretus patrocinio, hic liber vivet, & ubicunq; terrarum, quocunq; demũ ſæculo, Analectæ occurrerit, Maieſtatem Regis ab illius iniuriis præſtabit incolumem, & Analectorum falſitatem, fide rerum refutabit. Deus opt: max: Sublimitati veſtræ, multos annos, & fœlicem ſemper, vel ſine bello pacem, vel in bello victoriam, propitio numine, largiatur.

Celſitudinis veſtræ

humillimus ſervus,

THO. RYVIUS.

Ad Lectorem.

MOnendum te censui, benevole Lector, librum hunc ab An. Domini 1617. *αὐτόδοτον jacuisse: cur ita jacuerit, mihi dicere non est necesse; quòd sic jacuerit, tibi scire, quàm fuerit necessarium, inter legendum apparebit. Vale, benevole; & mihi fave.*

THO. RYVIUS.

Errata in libro primo sic corrigenda.

Pag. 2. utumque, *lege* utcunque. Ead.pag.ordium, l.ordinum. Pag.6.psum, l.ipsam. Ibid signatum,l.signatam. Pag.11. as, l. ac. Ib.Romanæ,l. Romani. Pag.16.portum, l.portuum. Pag 17.ô Oedipo,l.Oedipo.Pa.37.in perpetuam,l. in perpetuum.Pa.39.causæ,l.causâ.Pa.41.vostrum,l.nostrum. Pag.49.Zenophon,l.Xenophon. Ib.in marg.περικύρου,l.περὶ Κύρου.

Errata in libro secundo.

Pag.5.offerendum, *lege* efferendum. pag.9.trepidiatione, l.trepidatione. pag. 15. fiedliter, l.fideliter. pag.18. leviter, l.leniter. pag. 19. reductum, l. redactum. pag.24.parlamenti,l.parlamentari. pag.32.rixit,l.dixit. pa.35. cupiunt,l.cupiant. pag.36.patricinio, l. patrocinio. pag. 40. uoui, l. noui. pag.43.ecclesiæ,l.ecclesiast.pag.47.præfligandam,l.profligandam. pa. 49. in marg.Anadent,l.Analect. pag.51.historiorum,l.historicorum. pag.55. cum barbaris, *dele* barbaris. pag.59.in marg.Barclaus,l.Barclaius. pag.57. ipsi,l.ipse.

Errata in libro tertio.

Pag.10.monastriis,l.monasteriis. pag. 16. pontificiales, l. pontificales. pag.37.nulla,l.nullo. Ib.et,l.vt. pag. 55. in marg. ad Amphilogium, l. ad Amphilochium.pag.59.in marg.Philapat,l.Philopat.pag.68.Dominiorum, l.Dominorum. pag.73.fuerunt,l.fuerant. Ib.vindicare,l.vendicare.

Alia si occurrerint, tu quæso, lector, facili manu corrige.

REGIMINIS ANGLICANI IN HIBERNIA defensio, adversus Analecten.

LIBER PRIMUS.

ANni jam sunt ferè decem & septem, ex quo, fractis ad Kinsallam rebellium Hibernorum animis, Comes Tironeus, fatalis illius incendij fax & author, de se dedendo cogitare cœperat: Ex illo tempore mirum est quantum creverint Hibernorum res. Desertissimæ solitudines in vicos & oppida conversæ; itinera, clausa olim exercitibus, nunc patent viatoribus: Portus navibus, urbes Mercatoribus, agri coloniş, fora judiciis frequentantur: Nec, si quid inter Cives controversiæ inciderit, ferro nunc, ut olim, sed lege, & Judicis arbitrio, decíditur: Ipsæ verò gentes, An-

glicana & Hibernica, quæ non ſolùm ſtudijs, ſed etiam caſtris olim diſſidebant, nec ullo fœdore tenebantur, ſed alteri alterum utrumq; occidere jus erat, ſublatis nuper hoſtilitatis lẽgibus, in unum populum cõaluerunt, nec commercia modo nunc et convivia, verùm etiam conjugia inter ipſas populariter celebrantur: Adeoque æquo jure, pari lege, & eadem conditione, abſque omni gentis diſcrimine, ſub juſtiſsimo Rege vivitur, ut nec Angli ſe viciſſe, nec Hiberni victos ſe eſſe, ſentiant.

Huic tam lætæ paci, tam fœlici omnium ordium concordiæ, ſoli hominum invident Romanæ factionis Sacerdotes: qui ſe hoc rerum manente ſtatu, ad beneficia, Epiſcopatus, aliáſque, ſive in Eccleſiâ, ſive in Rẽpublicâ dignitates aſpirare non poſſe vident: Itaque quod qiuetâ Republicâ, deſperant, hoc turbatâ, conſequi ſe poſſe arbitrantes, id unum cogitant, id agunt, id moliuntur, ut reſides nunc, & paci adſuetos popularium ſuorum animos, ad priſtinos furores acuant, & quâvis quæſitâ occaſione, ad arma præcipites & cæcos agant; id verò nullâ aliâ ratione ſe commodiùs facere poſſe arbitrantur, quàm ſi rerum præſentium tædio, novarum illis fecerint deſideriũ. Ex hoc ludo prodiit non ita pridem unus, vir ille quidem nequitèr doctus, nec infacundus, malo publico: qui ſub Analectæ nomine præſentem rerum in Hibernia ſtatum, oratione ſuâ, non ſolùm deprimit, ſed etiam damnat: Magiſtratus verò omnes, & Provinciarum Præſides, præſertim verò Arthurum Ciceſtrium, Baronem nunc Belfaſtẽſem, Deputatũ nuper hujus regni Generalem, omnibus convicijs & maledictis lacerat,

rat, adeóque licentér & intemperantér in hoc scribendi genere evagatur, ac si manifestiora essent eorum crimina, quàm ut negari majora, quàm ut excusari, graviora verò, quàm ut ampliùs jam à populo Hibernico tolerari possint: Et hoc quidem per me impunè: rerum nimirum à se gestarum ipsi Nobiles vel laudem ferant vel vituperium: impunè, inquam, hoc per me ferret Analectes, nisi privatam horum hominum injuriam cùm publica conjunctam esse cernerem; atque ita conjunctam, ut per eorum latus, Regis, adeóque regni hujus viscera peti fodíque cernerem. Quid enim aliud in toto illo Analectorum suorum opere, precibus minas, criminationibus querelas miscendo agit, quàm ut Romanam superstitionem, pulso Evangelio, in hoc regno tolerandam, leges patrias abrogandas, & Anglos omnes, tanquam alienæ gentis homines, magistratu abdicandos esse contendat? eáque ni fiant, rem profectò ad defectionem manifestò spectare arguat? Ego verò, modò faveat mihi Deus, hujus hominis, quisquis ille demûm sit, preces fictas, querelas vanas, irritas & inanes minas, criminationes verò, quotquot sunt, omnes, vel sine causâ falsas, vel, cum laude nostrorum hominum, veras esse demonstrabo. Quâ in re, si quid a me duriùs aut inclementiùs dictum cuiquam videri poterit, bonos tamen omnes (nam malos non curo) rogatos vellem, ne illud naturæ, moribúsve meis tribuant, sed causæ atrocitati, quæ tanta in hâc causâ est, tamque indigna, ut non à seditioso aliquo cive, sed à nefario hujus regni hoste, & patriæ suæ peste, profecta fuisse meritò existimetur: Me verò in hoc

opere ita voti mei compotem velit eſſe Deus, ut nihil ego ad privati cujuſquam gratiam, nihil ad contumeliam, nihil cuiquam aſſentandi, nihil detrahendi ſtudio ſcripturus ſim, ſed ea tantùm in medium prolaturus, quæ ad Dei gloriam & legitimam Regiminis Anglicani in Hiberniæ defenſionem magis facere arbitrabor.

Sed ne longis ambagibus lectorem teneam, ad ipſum libri titulum & inſcriptionem venio. *Analecta, inquit, mira, ſacra, & nova:* Mira quidem, ſed monſtroſa magis, nec tam ſacra, quàm ſacrilega; Nova tamen, fateor, & ad res novas ſpectantia, ſed à rerum veritate penitùs aliena: At quibus de rebus, quorumq; geſtis? *De rebus* (inquit) *Catholicorum in Hibernia, pro Fide & Religione geſtis.* Equidem iſta legens, vel martyria, vel miracula, vel quid Actis Apoſtolorum ſimile, ſaltem bella, victorias, triumphos expectabam: Hæc enim, & his ſimilia, rerum geſtarum nomine inſigniri ſolent. Cùm verò librum ipſum quàm potui diligentiſſimè perlegiſſem, nihil quicquam inveni, quod prudentis cujuſquam privato codice, aut adverſariis, nedum typis, aut publicis literarum monumentis dignum cenſeri debuit.

At cui dicata? primùm quidem, *Sereniſsimo Walliarum Principi Carolo, Britannicarũ Inſularum hæredi conſpicuo:* qua in re (nec te lateat Analecta) alii prudentiam tuam deſiderabant, alii verecundiam: Nam ſi tanquam novus alter *Xenophon*, id quod de te profiteris, *Prolem regiam præludijs regendi inſtituendam* ſuſcepiſti, vide ne nimiæ hoc fuerit ſimplicitatis, ne dicam imprudentiæ, tanti beneficii

cii apud tantum Principem collocati, nomen tacendo mercedem velle perdere: Sin autem (quod res est) jus patrium sanguinis, Religionem Christi falsitatis, Regem verò ipsum non solùm avaritiæ & crudelitatis, sed etiam injustæ dominationis accusare statuisti, cujus hoc erat frontis? quàm proruptæ audaciæ? quàm projectæ impudentiæ? Principem optimum, optimisq; moribus institutũ, ipsumque regni hæredem conspicuum, huic tam nefario, tam infami libello, nec rogatum, nec volentem, nec scientem, idque tacito tuo nomine, Patronum nominare?

Verùm hujus sui incœpti ipsum mox autorem pœnitere cœpit. Itaque, sive insitâ ingenii levitate, sive desperato Principis optimi, in tam dispari causâ, patrocinio, ipsa eadem Analecta, novis quibusdam pannis obsita, novisque typis edita, *Imperatori et Regibus exteris* cum gravi querelâ tradere festinavit. Illos, ut indignè afflictis dignantèr opem ferant, ut gentis Hibernorum, ludibrio expositæ, opprobrio habitæ, & in gravem miseriam conjectæ, misereri velint, rogat: Nec ego hoc quantumvis falsum, cum flagitio factum esse contenderem, nisi ipsa hominis petitio adversus Majestatem Regiam crimen & scelus contineret: Quid enim petit? *A Rege nostro nil* (inquit) *petimus, nisi ut regiè tractet regnum suum.* Quasi verò Rex noster is esset, qui Hibernos suos non legibus sed vinculis contineret; qui in Hibernià se non Civium Principem, sed servorum Dominum esse cogitaret; qui denique cùm alia sua regna paterno affectu complectatur, solam Hiberniam non justè, non clemen-

Pag. 1.

Pag. 8.

ter, non more regio, sed imperiosè, crudelitèr & tyrannicè tractare consueviſſet: profectò enim qui Regem subditos Regiè tractare negat, is illum, exuta Regis, Tyranni personam induiſſe clamat: Quid igitur de toto Analectorum corpore speremus, cùm ipsum libri frontem tam audaci facinore signatum cernimus? Aut cui demum parcet furiosus iste malè de bonis dicendi ardor, qui sanctiſsimi, justiſſimi, & clementiſſimi Principis famam, tam atroci stilo lædere non formidavit? Sed audiamus & alia. *Vt regiè* (inquit) *tractet regnum suum, & sub regiâ clementiâ regales subditos servire patiatur summo Regi cælorum securâ conscientiâ.* Iusta certè petitio, si quod verbis prætenditur, animo & sensu intenderetur: nunc autem, cùm ea sit verborum illorum vis, ea sententia, ut vos vestris ritibus, vestrâ disciplinâ, vestrâ denique religione, quâ Dei gloria minuitur, doctrina Christiana confunditur, Respublica nostra turbatur, Regis denique & totius regni vita & salus in ultimum periculum & discrimen adducitur, impunè in Hiberniâ frui liceat, frustrà tu hujus causæ patrocinium Regibus exteris commendare, frustrà prudentiſſimum Principem, ullis precibus ad divini numinis injuriam, & suam perniciem moveri posse censuisti. Neque verò Analecta Regibus exteris, aut ipsi Imperatori tantùm hoc tempore abs re suâ otii esse puto, ut aliena curent: sin rixas vestras, & probra nobis obiecta audire vacat, nostram certè defensionem, quâ sunt prudentiâ, auribus admittere non recusabunt.

Incipe igitur, Analecta, & quænam sint illæ afflictiones, quæ illa ludibria, quæ opprobria, quibus

bus sectam tuam tam gravitèr in Hiberniâ vexari quereris, omnia enumerato: nec ego nullam illis ex causâ istâ molestiam fieri contendo; sed injustè, inclementèr, crudelitèr, quicquam in eos vel factum vel sancitum fuisse nego: itaque, ut dixi, siquæ ejusmodi facinora vel in legibus vel in factis nostris reperiantur, ea nunc ab Analecta sigillatim omnia percensèri volo. *Animus*, inquit, *mihi utique non est, percensendi omnia sigillatim quæ in hac turbâ vexationum enumerari possint: specimen tantummodo exhibebo, unde prudens rerum æstimator cætera possit dijudicare.* Accipio conditionem: prudentem rerum æstimatorem neminem Iudicem recuso, nos crudeles, an bonus hic noster Analectes, tam sine causa, quàm præter modum, non solùm querulus & vanus, sed etiam rerum novarum cupidus & perduellis judicari debeat. *Controversia.*

Quatuor igitur sunt querelæ, in quibus persecutionis Anglicanæ vim maximè spectari docet; quarum prima est illa de causidicis: quos à Tribunalibus, à Iudiciis, ab omni forensi usu & causarum patrocinio, idque religionis causa, arceri, & sæpe & vehementèr queritur. Quam ego causam invitus admodum attingo: sunt enim ex illo genere viri nonnulli, non indocti, quorum integritate, prudentia, moderatione in judiciis, fide verò, industria, & consilio in patrociniis, Respublica carere nollet. Quid? quòd consuetudine eorum privati interdum delectamur: In quibus, cùm cætera integra sint & recta, eò tamen peccant, quòd leges patrias, & legitimum sui Principis imperium malesuado animi sui *Responsio ad primam calumniam de Causidicis ab Advocationis exercitio ablegatis, pa. 46.*

ſui errori cedere, quàm ſe legibus & majorum ſuorum inſtitutis, obtemperare, æquius eſſe judicant; quodque legitimo ſuo Principi in cauſis & negotiis eccleſiaſticis jus adimunt; ei verò ademptum, Pontifici Romano, homini non ſolùm externo, ſed etiam inimico, & hoſti, & perpetuo inſidiarum, parricidiorum, & rebellionum auctori, tribuunt. Nec advertunt interea, quòd cùm Pontifex Romanus illorum conceſsione in cauſis Eccleſiaſticis ſibi jus tributum ſemel arripuerit, ipſe ſe in Regni ipſius & Imperii poſſeſſionem per vim & ſcelus ingerat: cùm autem ſemel ore frænum acceperint, fruſtra illi ſeſſorem tergo excutere moliuntur. Quid enim? an tu, inquit, ſolem lunæ, diem nocti, animam corpori, paſtorem ovibus, aut præcellere aut præeſſe negas? Atqui, quantum ſol lunæ, dies nocti, anima corpori præſtat, tantum poteſtas eccleſiaſtica civili antecellit: quam autem poteſtatem paſtor in oves habet, eandem & ego in Imperatores & Reges habeo. Poteſt paſtor oves, ſi vult, tondere; ſi minus, deglubere: oves ex cauſa mactare poteſt; mactatas, ſi vult, devorare poteſt: ſcriptum enim eſt, Surge Petre, macta & manduca. Aut igitur totum hoc fidei Catholicæ Romanæ nomen inane eſt, aut Pontificem Romanum non ſolùm in cauſis eccleſiaſticis primas tenere, ſed etiam vitæ neciſque poteſtatem in Reges habere fateamini neceſſe erit.

Itaque homines alioquin minimè mali, imprudentia labuntur, & Pontifici Romano jus in cauſis eccleſiaſticis tribuendo, in eas ſe anguſtias conjiciunt, unde integro ſuo in Regem officio, ſe recipere non

non possunt. Hunc verò errorem causidicorum mentibus eruere cupit Rex; eamque in rem ab illis fidem & sponsionem, jurisque jurandi religionem exigit: ea ni præstetur, ab omni usu forensi eos arceri statuit. Illud igitur nunc æquo & prudenti rerum æstimatori, ad quem provocat Analectes, arbitrandum erit, utrum in tanti momenti re, in causa tam gravi, & ad Reipublicæ summam pertinente, simplex illa fori interdictio ejusmodi supplicium sit, ut inter afflictiones, opprobria & ludibria numerari debeat. Mihi enim profectò non tam irati Principis vindicta, quàm offensi patris castigatio videri solet: multa enim sunt delicta, quæ si ad hujus criminis atrocitatem comparentur, levia sunt, & penè nulla, quæ tamen hoc eodem supplicio, ex legum præscripto, puniuntur: ut, si quis stuprum vel adulterium commisit, si quocunque modo infamiam contraxit, si causarum aut litium redemptor fuit, si à clientulo suo lite pendente rem emit, vel de re emenda cum eo contractum iniit, si de quota litis pactus, si verbosior, si procacior fuerit, si opprobriis magis quàm ratione certare soleat, si denique in jure satis adhuc versatus non reperiatur: his enim ex causis, & aliis nonnullis forsitan levioribus, causidicis silentium imponi solet. Iuris enim consultos tanquam legum mystas, & in suo genere alteros sacerdotes, totos integros & usque-quaque rotundos esse voluerunt veteres. Magnus enim profectò est juris consultorum honos, magna in republica auctoritas: adsunt in judiciis, sæpe de fortunis, sæpe de vita periclitantibus succurrunt, ambigua causarum fata dirimunt, suæque defensionis

viribus, in rebus, sæpe publicis, sæpe privatis, lapsa erigunt, fatigata reficiunt, miserorum fortunas solo æquatas pristino splendori & dignitati reddunt. Itaque si libidine infamem, si procacem, si rabulam, si litium redemptorem, si denique prævaricatorem à subselliis & juris professione arcendos esse credimus, quanto magis eos, qui Pontifici Romano in nos Regémque nostrum jus tribuunt? qui Regi nostro contra Romanum Papam sponsionem dare pertinaciter recusant? denique qui Regem in causis ecclesiasticis, quibus Respublica non minùs quàm civilibus continetur, supremum Gubernatorem & Caput non esse, contra jus & fas, & majorum suorum instituta ferociter contendunt, nec ab hac tam pravâ, tam perversâ, támque perniciosâ opinione ullo modo se depelli aut dimoveri patiuntur? Rebus enim, ut sæpe sit, dubiis, magni momenti res est, in quamcunque partem se inclinaverint juris professores; nec ulla pronior ad Rempublicam perdendam via est, quàm si hominibus malè de præsenti rerum statu sentientibus, de jure respondere liceat. Notum enim est illud, domum Iuris consulti totius oraculum esse civitatis: illiusque responsa, quæcunque demum fuerint, tanquam juris legúmque effata venerantur imperiti. Quis igitur Princeps tam sui negligens, tam populi sui, & communis omnium salutis, publicæque tranquillitatis immemor sit, ut homines peregrinæ religioni deditos, & adversæ factionis peste laborantes, eo in Republicâ munere fungi patiatur, quo illis ad populum corrumpendum non solùm occasio, verùm etiam auctoritas tribuatur? Nam si illo-

tis,

lis, quod Veteres aiebant, manibus, ad jus tractandum accedere non licet, quantò minùs pollutis animis, & Romanæ illius Medeæ veneno delibutis accedere licebit? Nec tamen hæc perinde à me dicta sint, ac si eos omnes huic Romanæ Pontificis tyrannidi studere putem: sed tamen ista eorum tam necessarii, tam legitimi, & à majoribus suis, eadem qua ipsi religione præditis, nec ad religionem, sed ad tyrannidem Pontificiam abolendam, primitùs instituti jurisjurandi recusatio, pietatem lædit, animiq; fluctuantis, & ad peregrina studia propendẽtis, nec ambiguum præbet argumentum: nota enim est Pontificis Romani arrogantia, nota est etiam illorum hominum disciplina. Papam, quâ sunt prudentiâ, in multis peccare fatererentur, si errare eum posse, credere liceret: nunc autem, cùm ita à pueris instituti sint, ut omnia ejus verba pro oraculis habeant, mirum non est, si prudentissimus Princeps istam eorum tam ancipitem doctrinam suspectam habeat; eóque fortasse magis, quòd ex eo numero haud defuit, non ita pridem, unus, qui coram ipso, à sanctissimo viro, & magno Ecclesiæ Anglicanæ lumine, Georgio Archiepiscopo Cantuariensi interrogatus, si Papa contra Regem arma ferre juberet, quid ipse faceret? Nihil aliud, quàm Papam non jussurum, respondit. At si juberet, quid, inquit, faceres? Respondit, Papam, quâ est sanctitate, nihil tale mandaturum, persuasum habeo. At multos olim adversus Reges alios, & modò Pium Quintum contra Reginam Elizabetham idem fecisse constat. Non, inquit, opinor, Papam tale quid adversus Regem jussurum esse. Quid autem hoc erat aliud,

quàm ſi dixiſſet, Imperata facerem? Iſta enim quæſtio, quoties proponitur, quaſi quodam admoto equuleo, intimos quemque animi ſui ſenſus retegere, & vel tacentes verum fateri cogit. Danda eſt igitur Regi optimo, & longo jam rerum uſu exercitato venia, ſi eos aliis conſilium in foro dare non patiatur, qui ſibi ipſis rectè conſulere nondum didicerunt. Sed me nunc ad ſe revocat Analectes, & magnis clamoribus *citra formam iuris, nullâ lege ſuffragante, ab uſu & exercitio ſuæ advocationis Iuriſconſultos ablegari* contendit. Itáne verò? nullâ lege? an tu ſalutem Reipublicæ ſupremam legem eſſe neſcis? an verò juſtam Principis voluntatem pro lege ſervandam eſſe negas? Si illud reſponderis, inſcitiam, ſi hoc perfidiam tuam prodis: nam quem tu nobis, qualémve Regem conſtitues? Liberúmne Hiberniæ Monarcham, an Lacedemoniorum Regulum, cui omnia tanquam ex ſyngraphâ, ex condicto, verbis præſcriptis, & conſignatis tabulis cum populo agenda erant? Quanquam ſi ad juris apices nos revocas, tu dic primùm quâ lege, quo jure, Iuriſconſulti illi tui ſibi jus patrocinandi arrogant. Illud enim, ſi jus ſpectas, ſatis liquet, neminem ad cauſarum patrocinia admitti debere, neminem jus advocandi ſibi vindicare poſſe, niſi priùs gradum in illâ facultate fecerit; niſi poſt ſpectatam cùm doctrinam, tum fidem, ad ſubſellia vocatus, & togâ forenſi inſignitus fuerit: hunc autem gradum nemo in Angliâ, in illis, inquam, Iuris Anglicani, id eſt, omnis civilis & prudentiæ & converſationis, ut appellantur, Hoſpitiis & Collegiis aſſequitur, niſi priùs præſtito de Primatu regio juramento.

Quæ-

Quæro igitur: juramentum illud aliquando præſtiterint cauſidici illi veſtri, nécne? Si etiam, cur ſacramentum, quo ſemel ſe obſtrinxerant, per ſcelus violant? Si non, nullum igitur patrocinandi jus habent; imò verò, inquies, toga Iuriſperitum non facit: non magis, opinor, quàm cucullus Monachum. Sed tamen Iuriſperitiam aſſequuto, cùm jus ad patrocinia tribuit, tum etiam auctoritatem. Quanquam quæ hæc eſt inſcitia? vel potius injuria? Nos hac in re ad juris formulas & legum ſuffragia revocare; cum advocatos creare ad ipſum Principem Prerogativæ jure ſpectare conſtet? Cujus ſententiæ inter alios author eſt mihi veſter ille Chaſſanæus: *Solus Princeps*, inquit, *Advocatos vel ipſe creat, vel alijs creandi poteſtatem tribuit*: Itaque nimis illi mihi videntur arrogantes, qui ſi juris exiguam aliquam notitiam adepti ſibi videantur, ſtatim in forum, tanquam in poſſeſſionem ſuam veniunt. Publicum enim eſt Iuriſconſulti munus; ad quod ſinè Principis beneficio aſpirare non licet. Si igitur ſolo Principi Iuriſconſultos creare liceat, cui dubium eſſe poteſt, quin Princeps beneficio à ſe conferēdo quam velit conditionem apponere poſſit? Quare cùm ſereniſſimus Rex noſter ſuæ ſimul & publicæ ſalutis cauſa jusjurandum à Iuriſconſultis exigat, non ſolùm prudenter in eo, & cautè, ſed etiam juſtè agit, nec injuriam feciſſe videri poteſt, qui jure ſuo utitur. Itaque quiſquis es Iuriſconſulte, ſi muneris hujus deſiderio teneris, Patrocinij leges ſerves neceſſe eſt: Sin diſplicent leges, æquo animo ea re carcas decet, cujus conditionem accipere noluiſti.

Catal. glor. mun.

Quanquam hoc ipſo interdicto, quo à Patrocinio-
orum uſu abſtinentur, quid magni incommodi ſu-
ſtineant, non perſpicio: paucos enim ſi exceperis,
plus illi ſenſu quàm lingua valent; Conſilio ſunt
quàm eloquio meliores: Cauſas inſtruunt, melius
quàm agunt: Iuris denique non ignari ſunt, potius
quàm Oratores boni. Itaque frequentes in forum
veniunt, conſuetis honorarijs domi conſilium
dant, terrarum emptiones & venditiones illis au-
ctoribus plerumque fiunt: Dotes illorum conſilio
conſtituuntur: Pacta conventa eorum arbitrio ro-
borantur: quicquid denique in Iuris profeſſione
dulcedinis & lucri ineſt, eo omni taciti fruuntur:
Interim verò fori jurgia, & clamores vitant, priva-
torum hominum invidiâ, inimicitias, odia, litigan-
do non contrahunt: Iudicum offenſiones non in-
currunt: de famâ denique, qua patronorum res
conſtat, nunquam periclitantur. Et enim, ſive cli-
ens cauſa vicerit, illi multùm conſilio juviſſe exiſti-
mantur; ſive victus fuerit, illis tamen patronis ſi uti
licuiſſet, ſuperaturum fuiſſe haud dubitatur. Ne
diutiùs teneam; ita planè ſe habent eorum res in
patrociniis, quomodo Sacerdotum Romanorum
in matrimoniis: qui ſi quid in iis dulce eſt aut vo-
lupe, oſcula, amplexus, noctis deliciæ & ſuavitates,
id omne gratis aufetre ſolent: rixas verò Iunonias,
& alterna lecti jurgia, ſobolis tollendæ curam, fa-
miliæ ſive alendæ ſumptum, ſive regendæ moleſti-
am, aut alia nuptiarum onera non attingunt.

Itaque viri prudentiſſimi, (liceat enim mihi vos
hoc in loco affari) ſi quid in vobis pij in Regem ve-
ſtrum animi, ſi quid communis nobiſcum ſanguinis

reli-

reliqui adhuc habetis, si quam originis, si quam disciplinæ vestræ, si quam legum ipsarum quas didicistis memoriam retinetis, lenem hanc & planè necessariam mansuetissimi Regis & Parentis optimi coërcionem animis non solùm æquis, sed etiam, ut res nunc sunt, libentibus feretis: Nec vos Sacerdotum vestrorum, tanquam Buccinatorum, vocibus, ad murmura, ad prava consilia, & certa pericula præcipites ferri patiemini. Vestro enim profecto ardore, vestris fortunis, vestro sanguine, ad impotentem animi sui libidinem, & dominationem abuti volunt: nec in quas miserias, vos, Conjuges, Liberosque & fortunas vestras, conjiciant, quicquam pensi habent, dummodo ipsi ad fastigium quo anhelant pervenire possint: At vos interim parum justè ex illis legibus aut rem aut gloriam quæritis, quas ipsi per tantam temeritatem violare non dubitatis.

Dictum est jam de Iurisconsultis: nunc de alterâ ejus querelâ, & de Magistratibus dicendum est: Itaque *Iustitiarios pacis, legitimos illos & idoneos Eirenarchas, surrogatis in eorum loco ineptis ministellis, & homuncionibus indoctissimis, in despectum Catholicæ Religionis ab officio olim depositos fuisse, nec adhuc revocatos esse, queritur: munia honorifica publicæ administrationis, præfecturas agrarias*, Vicecomitatus, custodias portuum, arciumque, assistentias tribunalium, procurationes fisci Regii, Provinciarum Præsidatus, & gubernia, catholicis incolis non committi lamentatur. Municipales denique & urbanos Magistratus quibus tam novo quàm veteri privilegio

Responsi. ad secundam calumniam de Magistratibus, pag. 46.

vilegio fas erat de sui communitatis corpore assumere ad civicam administrationem, et oppidanum Regimen, è longinquò evocatos et quod detrectâssent juramentum Regii Primatus, restrictos prius, & à sua libertate coercitos, mox etiam officiis abdicatos, cum depositionis contumelia et gravi comminatione severæ in omnes sequuturæ animadversionis, nisi quantocyus se regis voluntati accomodent, domum remissos esse clamat: in *istis verò* (inquit) *angustijs dicant illi cum illustri Centurione Gordio, minæ humanæ semina sunt nobis divina, quibus immortalitatem perpetuaq́ gaudia metamus*: Nę tu, Analecta, homo insignitèr querulus es & vanus; næ tu is es, in quem verè dici possit, quod de *Demosthene* usurpavit *Aeschines*, Faciliùs eum flere quàm alios ridere potuisse: ni esset, nunquam tu ea in Republicâ nostra facta esse tam gravitèr querereris, quæ nisi rescissis hujus regni legibus, id est, revulsis Reipublicæ nostræ fundamentis, aliter fieri non posse ignorare nequis: Tu pacis tutelam, & custodiam? tu portum & arcium pręfecturas? tu potestates, imperia, curationes? tu urbium & oppidorum Magistratus peregrinæ religionis Incolis committi postulas? Quæro primùm quo jure? deinde, quo consilio? quâve ratione id confieri posse putas? neque enim id tibi in hâc causâ dicere licebit, quod in priore causâ dixisti, falsò id quidem, sed tamen, ut in re controversâ fit, specie quâdam veritatis: Causidicos enim à subsellijs nullâ juris formulâ, nullâ lege suffragante, abdicatos esse dixisti: id, inquam, tibi in hâc causâ dicere non licet: Etenim annis abhinc plus minus sexaginta, nempe secundo

Κατὰ Κτησιφῶν: οὗτος κλαίει μὲν ῥαδίως ἢ ἄλλοι γελῶσι.

Re-

Reginæ Elizabethæ Anno in hoc regno à majoribus vestris lege lata cautum est, ut *omnes & singuli temporales Iudices, Iustitiarij, Maiores, & alius quilibet temporalis Officiarius, aut Minister, & alia quælibet persona feoda seu vadia intra hoc regnum à regiâ celsitudine habens, sacramento illo de primatu regio conceptis verbis edito se obstringeret*; quodque de cætero quælibet persona ad quodcunque temporale sive laicum officium sive ministerium aut servitium promovendus, antequam se prædictis officijs, ministerijs, servitijs sive dignitatibus immisceret, jusjurandum prædictum ad sancta Dei Evangelia daret: Quid igitur respondet Analectes? an legem latam esse negat? atquî potest? an lata cùm sit, ferri non oportuisse dicit? meminerit ergo oportet, quòd qui legem reprehendit, ipse multò magis reprehensione dignus videri debet: non enim de legibus judicandum est, sed secundum leges.

Imo verò (inquit,) saltem magistratus urbani privilegio se tueri possint: *His enim tam novo quàm veteri privilegio fas est de suæ communitatis corpore assumere ad civicam administrationem & oppidanum regimen.* O nodosum juris ænigma: Œdipo, ut opinor, vel Sphinge dignum: quasi verò statutum illud tam communibus omnium ordinum suffragijs, tam consentientibus studijs promulgatum, vetera omnia privilegia ad hanc communem terræ legem non revocasset: Cui enim dubium esse potest, quin Eboracum, Londinum, Dublinium, & infinitæ aliæ penè dixeram, ad unum omnes horum regnorum civitates & oppida celebriora, hoc jure & privilegio utantur, ut ex suo corpore magistratus eligant Pag. 47.

gant quos velint? quibus tamen omnibus, ex hoc ſtatuto, eadem lex, eadem conditio irrogatur, ne quo Magiſtratu uti poſſint, niſi qui priùs jurejurando ſe, ad primatum regium aſſerendũ, obſtrinxerit. At poſterioris fortaſſe temporis privilegia majoris ponderis & momenti eſſe poſſunt; multò verò minoris: Id enim legis proprium eſt, futuris dare formam negotijs: Itaque cùm antiquior lex ſit, quæ neminem fungi ſinat Magiſtratu, niſi illo prius præſtito juramento; tametſi Princeps poſtea privilegium conceſſerit, Civibus ut liceat ex ſuo corpore Magiſtratum eligere, ſemper tamen intelligendum erit *ſecundum legem*. Sed eſto, ex privilegio Cives jus habent, quem voluerint, eligendi: Illud quæro, an cui conceſſum reperiatur, ut contempto hoc jurejurando, gerere Magiſtratum poſſit? Nam ſi hoc nuſquam conceſſum reperitur, eligant licet ex privilegio quem velint Cives; Magiſtratum tamen geret nemo, niſi quem leges volunt: Sed his tamen argutijs Sacerdotum ſuorum, & ſeditioſis unius cauti magis quàm periti leguleij conſilijs, impulſam nobiliſſimam ferè & antiquiſſimam, & immenſis quibuſdam privilegijs ornatam, ne dicam oneratam, regni hujus civitatem, in ultimum libertatum & privilegiorum ſuorum omnium diſcrimen nuper adductam fuiſſe vidimus. Neque verò Romanæ religionis homines id mihi ſatis modeſtè à Rege petere videntur: Petunt nimirum, ut portuum, arcium, urbium, id eſt, regni ſui tutelam, cuſtodiam, curam, ipſas denique Imperij claves ſibi credere & demandare velit. Itaque petunt, ut illud Rex in publicâ regni ſui admini-

miniſtratione faciat, quod ipſorum nemo in re ſuâ familiari faceret. Quis enim illorum in ſuburbano ſuo eum villicum ſibi eſſe velit, qui eum pro vicini ſui arbitrio ex illo agro depelli & deturbari poſſe crederet? Quod ſi hoc ab illis ſalvo pudore peti poſsit, à te tamen, Analecta, abſque ſummâ impudentiâ flagitari nequit: te, inquam, qui in his ipſis Analectis tuis Papæ quàm Regis in hoc regno cauſam & titulum potiorem eſſe dicere non dubitâſti: Quare & ſi nihil ſit quod à clementiſſimo Principe, & indulgentiſſimo hujus populi parente antea ſperari non poſſet, nunc tamen vereor ne aliter ſe res habere cœperit: Tu enim Analecta, tu defenſionis illorum, & venas, & nervos incidiſti: Tu cauſam tuorum omnium, quam prius erat, difficiliorem reddidiſti: eo nimirum rem tuis Analectis redegiſti, ut ſi vel Iuriſconſultis in ſuis Patrociniis, vel aliis in portuum arciumque & urbium Præfecturis, dormientibus interim legibus, gratificari Rex vellet, id tamen nunc ſalvâ Imperii Majeſtate, ſalvâ prudentiâ, ſalvâ conſtantiæ ſuæ exiſtimatione, vix poſsit facere: niſi illi, te prius cum iſtâ tuâ tam nefariâ doctrinâ ad inferos damnato, aliam ſuam, aliam tuam, & Sacerdotum Romanorum cauſam, ſententiam, diſciplinam eſſe, publicè declarare velint.

Sed de his poſtea & ſuo loco latiùs diſſeremus: nunc ad inſtitutum redeo, & à te quæro Analecta, quid, in totâ hâc re, ignominiæ, injuriæ, ludibrii, aut opprobrii reperiſti? nam ſi Reipub. noſtræ adminiſtrationẽ veſtris hominibus cõmiſſam non eſſe quereris, facilis eſt reſponſio; jura, judicia, leges, decreta majorum obſtant: Sed illud opinor magis te an-

git, quod *ineptis*, ut loqueris, *miniſtellis*, Rei paciſque publicæ cura & cuſtodia demandatur : O te facetum, & facundia pluſquam Tulliana præditum; qui verbi divini Miniſtros, quo aliquid eorum dignitati detractum videri poſſit, quod verbum omnino in linguâ latinâ nullum eſt, Miniſtellos appellandos eſſe cenſuiſti : pari meherculè Minerua, ac ſi ego nunc Sacerdotes veſtros, Sacerdotulos, aut Presbyteros Presbyterulos appellare vellem : Nam quod ad rem ipſam attinet, nemini mirum videri debet, ſi pacis amatores, ancipitis conſilii & fidei hominibus, in rebus ad Reipublicæ pacem & tranquillitatem pertinentibus, præferantur : At enim, hæc in contemptum Catholicæ religionis fieri? Ne illud quidem te commovere, Analecta, debet, ſi religionem eam, quam vos mentito nomine Catholicam, nos, ut ne quid graviùs dicam, Romanam & Pontificiam appellamus, non ſolùm deſpectui, ſed etiam odio, ut par eſt, habeamus.

Verùm Magiſtratus urbanos cum depoſitionis contumelia, domum remiſſos eſſe quereris; quid? An tu eos non ſolùm cuſtodia clauſos, ſed etiã compedibus vinctos ſemper eſſe voluiſti? Depoſitos enim quî potes dicere, quos magiſtratũ per leges adipiſci omnino non potuiſſe conſtat? At gravis cõminatio addita, niſi ſe quãtocyus regiæ voluntati accõmodarent : Quid? Hæccine illa eſt Catholicorum, quam in Hibernià patiuntur, afflictio? hoc opprobrium? hoc ludibrium appellari meruit? Subditis comminationem additam, niſi ſe legitimæ ſui Principis voluntati accommodari velint?

Imò verò, inquit, dicant illi cum illuſtri Centurione Gordio, *Minæ humanæ ſemina ſunt nobis di-*

vina, quibus immortalitatem perpetuaq́ gaudia metamus. Hæc nimirum est vestra per omnes gentes disciplina: sic vos populum ubique instituitis: obstinatis & rebellibus vestrorum hominum adversus legitima Principum imperia consiliis, tanquam martyrum meritis vitam æternam, perpetua gaudia & immortalitatem pollicemini. Nam si rem inspicimus, quid habet ista vestrorum hominum causa cum præclaro illo Gordii facinore, & glorioso martyrio commune? Quid par aut simile in utrisque reperitur? Qua in re ne quis cuipiam fucus fiat, ipsam causam ex Basilio magno, quàm fieri possit, brevissimè enarrabo: *Eâ sanè, inquit, tempestate, cùm Tyrannus impius qui tunc imperitabat, in Christianum nomen virus suæ feritatis effunderet, manumq́ Deo inimicam adversus Ecclesiam exereret, totâ urbe præconis tuba sonabat, toto foro & per compita tyrannicum promulgabatur edictum, ne quis Christum adoraret: idola proponebantur adoranda omnibus, lapideaq́ & lignea hominum simulachra pro vero numine colenda; & si quis recusabat, extrema intentabantur. Confundebatur igitur tota civitas; quæ rei novitate attonita, tota tumultuabatur: Christianorum domus singulæ vastabantur: innocentium facultates diripiebantur: fidelium & ingenuorum corpora discerpebantur: matres familias per vicos trahebantur: nulla juvenum commiseratio: nulla senum reverentia erat, idq́ ob unum tantùm crimen quòd Christum colerent*. Verba deinde Præsidis ad Gordium referuntur: *Præstò sint*, inquit, *lictores, flagella, plumbatæ, corpus rotis scindatur, in equuleo suspendatur, omne tormenti genus excogitetur: feroces adsint feræ, igni* Basil. homil. de Gordio.

tradatur, gladio feriatur, in altum barathrum dejiciatur. Ad quæ Gordius, *Minæ,* inquit, *vestræ mihi semina sunt divina, ex quibus perpetua gandia & immortalitatem metam.*

Nunc igitur abs te, Analecta, quæro; Unquámne per compita vicósque nostros præconis audita vox est, ne quis Christum coleret? unquámne idola cuiquam adoranda, lapideáque aut lignea hominum simulachra colenda, aut Regem aut Præsidum aliquem proposuisse, aut ea unquam in Hiberniâ, præterquam à vobis, & in lararíis vestris proposita fuisse audivisti? An verò nos id unum non agimus, ut populum ab idolorum & mortuorum adoratione ad unicum Christi cultum & Evangelii ejus agnitionem revocemus? Testis est nobis Deus, testes Angeli, testis universus terrarum orbis, nos Christi milites adversus Antichristum, & purpuream illam Romanæ superstitionis meretricem, pro Christi nomine ejúsque Evangelii libertate, ut jus & fas est, pium & purum bellum gerere. Ac ne quis me idolorum cultum illis temerè hoc loco objicere, aut sine causâ, & immerentibus affigere existimet, ipsum Ludovicum Vivem de hac re querentem audiat: *Multi,* inquit, *Christiani in re bonâ plerumq́, peccant, quòd divos divasq́, non aliter venerantur quàm Deum: nec video in multis quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis, & id quod Gentiles putabant de suis dys.* Hoc ille & brevitèr & cautè in illum Augustini locum notandum censuit, ut quas consuetudines (cùm in certas Ecclesias illis temporibus irrepsissent) utcunque tolerabiles existimabat Augustinus, quorsum illæ his nostris diebus

In Comment. ad cap. ult. l. 8 Aug. de Civ. Dei.

bus evasissent, & quàm turpitur in Ethnicam planè superstitionem & ritum degenerâssent, ostenderet: nam si ego nunc ea verbis persequi, si sacra & suffimina sanctis adhibita percensere vellem; si nullum ferè in Hiberniâ fontem, cui divorum aliquem non præfecerint esse dixero (quos quidem fontes statis temporibus pedibúsque nudis adeunt: ibi pura se abluunt, vota vel faciunt vel persolvunt, cæteráque pro suo more, útque olim à Gentilibus fieri consuevit, peragunt); si denique nullum vicum, cui aut Isardum, aut Dulochium, aut Mechlinium, aut aliud tutelare nomen quotannis invocandum non ascripserint, esse affirmavero, quis non fateatur, cùm in universas Pontificiæ religionis gentes, tum maximè in hanc Hiberniæ terram, verè dici posse quod de suo Iuda questus est Propheta, *Secundum multitudinem civitatum tuarum, dij tui O Iuda.* Itaque si Ludovicus ille vester, tantæ doctrinæ tantæq; prudentiæ vir, inter vestram de sanctis & Ethnicorum de diis & deabus suis opinionem & cultum discrimen planè nullum videre potuit, quis nobis vitio vertat? quis succenseat? si justo judiciorum servato ordine, populum à gentili illa mortuorum adoratione, ad unius Dei vivi ejúsque filii Iesu Christi cultum retrahere cupiamus? Neque verò huic tam sanæ doctrinę reluctantem haberemus populũ, nisi tu Analecta, tuique similes Sacerdotes, pravis opinionibus plebem imbueretis, & Dei immortalis numine ad hominum timorem abuteremini: verbum Evangelii si audiverint, ingens scelus esse dicitis: Iidem si leges ad Dei cultum ducentes contempserint, constantiam eam, & masculam virtu-

Ieremie 2.

tem

tem appellatis, ſi pœnas incurrerint, aut minaciorem Magiſtratus vocem in ſe provocaverint, iſta planè ſemina divina quibus gaudia & immortalitatem metant eſſe contenditis. O Analecta; quid prodeſt Gordii aut aliorum Martyrum & Sanctorum voces uſurpare, cùm interim Paganorum ritus & facta imitemini? Deinde, quas tu minas, huic populo à fide devio, additas eſſe quereris? An flagella? an plumbatas? an rotas? equuleos? nova tormentorum genera? feras? flammas? gladios? præcipitia denique veſtrum cuiquam intentata fuiſſe noſti? nihil horum: quid igitur? hoc tantum: Magiſtratum adipiſci cupis? juramentum ſolitum & conſuetum præſtes neceſſe eſt. Diſplicet juriſjurandi formula? tantiſper igitur Magiſtratu carebis, donec legibus parere didiciſti. Quod ſi legum vincula perrumpere, aut fines tranſgredi pro tuo libito putaveris, ſunt leges, ſunt judicia, ſunt denique Magiſtratus, qui iſta tam licentér à te fieri non patientur: Hæc eſt nimirum Anglorum in Hiberniâ crudelitas; Hæ Hibernorum in terrâ ſuâ pro fide papali afflictiones: hæc ludibria, hæc opprobria, quibus vitę æternæ prȩmia deberi arbitrantur. Niſi fortè gravius quid in eos excogitatum proferri poſſit: Certè inquit; *Nam præter hanc ignominiam deponendi Catholicos, non alio quàm nominis ipſius titulo exoſos gravior ictus inhorruit noſtris oculis & auribus, de Quæſitoribus juratis, qui in poſtremo convẽtu juridico, quod nollent reclamante conſcientiâ, nos concives de Religionis conſortio accuſare, aut tanquam alicuius flagitȳ compertos prodere iudicio caſtigãdos pro Catholicæ religionis exercitio, alȳ gravibus mul-*

Reſponſ. ad tertiam calumniã de Quæſitoribus juratis. pag. 48.

mulctis onerati sunt, alij citationibus & mandatis compulsi se sistere Proregis & sanctioris consilij conspectui, molestias longi & lutosi itineris hyeme perpessi: O gravem Anglorum in Hiberniâ tyrannidem; ô glorioſum Hibernorum pro Pontifice Martyrium; ô patientiam Sanctorum in omne ævum prædicandam. *Alij*, inquit, *mulctis onerati sunt, alij molestias longi & lutosi itineris hyeme perpessi.* Muniendæ, opinor, erant viæ, hominibus Catholicis venientibus ad judicium: nec niſi exoriente verno ſidere, delicati Martyres ad cauſam dicendam evocandi: Non te harum ineptiarum pudet, Analecta? Cùm graviſsimarum afflictionum & calamitatum, quas tuæ ſectæ homines pro fide Romanâ in Hiberniâ pati perhibentur, Specimen & imaginem, unde prudens rerum æſtimator cætera dijudicare poſſit, te daturum profeſſus fueris, ad iſta nunc tam levicula rerum momenta decurrere, & de lutoſi itinerismoleſtiis queritari? At enim, præter longi & lutoſi itineris moleſtias, mulctis inſuper onerati ſunt. Eſt hoc quidem aliquid: ſed tamen quale id ſit, quantumque valeat, videamus.

Illo igitur ipſo conventu juridico, quem memorat Analectes, ita accidit, ut Inquiſitores jurati omnes Romanæ ſectæ & Religionis eſſent homines: ad quos cùm, prout mos eſt, omnia ſeu crimina ſeu delicta deferrentur, cætera quidem reorum nomina non ſegnitèr Iudicibus præſentabant, interim de iis, qui Eccleſias noſtras toto illo ſemeſtri adire recuſaſſent, altum ſilentium. Mirari primùm Iudices, deinde interrogare, num quid ad eos *de Recusantibus* delatum eſſet, nécne? reſpondent illi, de-

latum: rogabant Iudices, cur eorum itidem ut aliorum nomina non præſentâſſent? Reſpondent, id ſe, cùm accuſatio ea ad religionem communem pertineret, ſalvâ conſcientiâ facere non poſſe. At ſaltem juramenti paulò ante à ſe præſtiti meminerint, admonebant: reſpondent, ſe illi rei ſatis proſpexiſſe: Cùm etſi de omnibus ſe indicaturos jurâſſent, mentem tamen, quoad hanc religionis cauſam, injuratam reſervaſſent. Atrox judicibus viſum parari facinus: profectò, nihil integrum, nihil tutum, nihil ab improborum fraudibus & mendaciis ſatis munitum humano generi relinqui, ſi jurisjurandi religio, contractuum inter cives, commerciorum inter exteros, fœderum inter Principes, communis inter omnes ſocietatis vinculum, non falli, non eludi, ſed apertè & licenter perfringi & violari poſſit.

Itaque digna res viſa quæ ad Cameram Caſtrenſem, ubi perinde atque in Angliâ in Camerâ ſtellatâ, de extraordinariis criminibus cognoſci ſolet, integra referretur. Eò cùm veniſſent, duplex, ut antea, erat defenſio: quod juxta juris formulam delatos non præſentâſſent, conſcientiam, quòd pejerâſſent, mentalem reſervationem (ſic enim loquuntur) prætendebant: quarum illa, noſtrarum; altera verò, omnium legum & judiciorum vis, auctoritas, & majeſtas confundi, perverti, tolli videbatur. Cùm enim, juxta veteres, fides ſit, quoties fit quod dicitur, nec aliud ore profertur, aliud mente occultatur, idque maximè in judiciis ſervari debeat, ſi aliud dicere, aliud ſentire, aliud linguâ jurare, aliud mente occultare liceat, profectò non jam fraudi latebram quæri,

quæri, ſed perjurio viam aperiri, & fidem planè tolli apparebat: qua ſublata, quid attineret, in re dubia, ad judicium provocare? in quo, nihil ſancti, nihil certi, relinquatur: in quo non jam amplius prudente & rerum perito judice, qui ex verbis veritatem rimari, ſed aruſpice, qui de animi ſenſu divinare poſsit, opus habeamus: Itaque univerſo humano generi injuriam ſe facturos exiſtimabant Iudices, ni gravi exemplo ad poſteros ſanxiſſent, nequis perjurium, non ſolùm committere, ſed etiam juris & juſtitiæ nomine ita palam & publicè, & in ipſo ſacroſancto judiciorum loco defendere auderet. Nam quòd ad Rempublicam & ſalutem noſtram attinet, legum quidem noſtrarum omnium fundamenta, novo iſto peregrinæ religionis dogmate, tanquam ariete quati, & labefactari planè apparebat: Ea enim in nos Principum noſtrorum ſemper fuit indulgentia, ut delatorem quemvis aut privatum accuſatorem, cujuſquam aut vitæ aut fortunis imminere non patiantur. Sed majores illi Inquiſitores, in omni crimine, in omni ferè delicto, præſertim in iſto de quo nunc agitur, legitimi accuſatores & habentur, & ſunt. Itaque ſi illis liceat, vel per æquivocationem fallere, vel per contemptum accuſationis munus & officium defugere, ceſſent judicia, ceſſent ſupplicia, vis autem & ſcelus per impunitatem creſcat, oportet, & in Republicâ dominetur. Etenim, ut præclarè Tullius, *innocens ſi accuſatus ſit, abſolvi poteſt: nocens, niſi accuſatus, damnari non poteſt.* Quare ſi privatis non liceat, publici autẽ qui ſunt, accuſare nolint, profectò aut ampliſſimũ illud Principis beneficiũ quo utimur, id eſt, *Pro Roſcio Amer.*

libertas noſtra tollenda eſt, & in irritum revocanda, novuſque Iudiciorum ordo ſtatuendus, aut nulla planè in Republicâ noſtrâ de criminibus judicia fiant neceſſe eſt.

Neque verò dubitari poteſt, quin ſi illi ipſi homines religionis ſuæ cauſa, ab iſto vel accuſandi vel judicandi munere arcerentur, ut quoties de homicidiis, de furtis, de rapinis inquirendum ſit, illis in hujuſmodi judiciis verſari non liceat, gravem ſibi injuriam fieri, & communem omnium hæreditatem, id eſt, civis & ſubditi jus ſibi tolli quererentur. Quæ igitur hæc eſt inſolentia? à judiciis excludi nolunt, judicare tamen, non pro legum imperio, ſed pro ſuo arbitrio & voluntate volunt: Si res, inquit, religionem meam tangit, reclamante conſcientiâ, accuſare nolo: Hoc autem quàm latè pateat, quis non videt? nempe ad flagitia & ſcelera, ad læſę majeſtatis crimina & proditiones pertinet.

Unde enim tot olim Reginæ Elizabethæ ſtructæ inſidiæ? unde cruenta illa quæ quondam in Hiberniâ vidimus latrocinia? unde denique feralis illa de domo parlamentari ſubruenda nuper in Angliâ inita conjuratio? An non ad communem illorum hominum religionem pertinebant? An non ex hoc fonte manabunt omnia, quod homines ad talia facinora perpetranda ſanctitatis quâdam opinione, id eſt, conſcientiâ & pravo numinis metu, impellerentur? optima enim ſimul & peſſima in homine res eſt conſcientia, quæ ut rectè inſtituta, certiſſimum eſt inter Deum & hominem rectè vel ſecus geſtorum teſtimonium; ita pravis opinionibus & erroribus imbuta, ad atrociſſima ſcelera lenonis præ-

præbet ministerium: Itaque si hos ad quidlibet audendum impellit, illos ab accusando arcet & revocat conscientia, eveniet profectò, ut Respublica nostra judiciis, quibus solis utimur, orbata, tanquam navis amisso gubernaculo, feratur & fluctuet, & ad omnem scopulum naufragium patiatur: Meritò igitur summi illi Iudices hanc illorum juratorum, cum perfidiam in Deum, tum in leges contemptum, impunitum relinquere noluerunt.

Et quidem si Romanæ, quæcunque demum illa sit, sectæ homines, ad tormenta, flagella, exilium, cædem quærerentur, tum ista juratus diceret: Meæ religionis consortem & socium prodere, accusare, damnare nolo: Haberet hoc quidem excusationis aliquid, si non justæ, attamen, quæ probari posse videretur. Sui nimirum, quam alieni sanguinis, in causâ religionis prodigum esse decet. Nunc verò, cùm ea sit mulcta, adeóque levis, ut Analectes iste eam ne quidem nominare audeat, ne, quod sæpe dixi, querelarum suarum vanitatem prodat; satis quidem apparet, non hanc conscientiam esse, sed animi obstinationem, quæ flecti si nequit, frangi debet, nec in tantâ re committendum ut legum vis & auctoritas paucorum quorundam voluntati cessisse existimetur: Nam quæ tandem est hæc mulcta, quę tantas nunc turbas excitat? novem scilicet, in singulos festos dies, denariorum: O si nostris olim hominibus tam levi mulcta gravem illam legum contra se latarum crudelitatem & sanguinem redimere licuisset; nunquam illi de persecutione questi essent, sed ludum & jocum existimassent: Et tu tamen hanc, Analecta, quantulamcunq; pecuniarum

Pag. 51. mulctam *vectigal religionis*, & *conſcientiarum lytrum* nuncupas: ſordidas, mihi crede, conſcientias, & viles animas, ſi tantillo pretio redimendas. Religionem quidem Chriſtianam, pretio Turca, & Iudaicam Papa, ſed majori, vendit: hanc verò, quę in contumaces veſtrorum animos irrogatur mulctam, qua tu ratione vectigal appellas, planè neſcio. Vectigal enim omne, undecunq; redactũ, ſoli Principi debetur: ſive illud ex urinâ quæratur, ut Veſpaſiano; ſive ex lupanaribus, ut Pontifici Romano: has verò pecunias, quis unquam fiſco deberi dixit? aut quis unquam ex tam immenſo, ut tu quidem vis, pecuniarum acervo nummulus, in ærarium redactus fuiſſe noſcitur? Neque verò ipſe hic Analectes diſſimulat, ſe ſuóſque pretium ex hac causâ Principi velle ſolvere: neq; nos ignoramus, quàm ſæpe, quàm enixè, id egerint, ut certo tributo penſitato, religionis ſuæ tolerantiam, ut Iudæi in Papæ Dominiis, ita illi in Principis noſtri Regnis, conſequantur: quod quia acceptum non ſit, ſatis inde ſcire debuerunt, non ſua ſed ſe quæri; nec levem iſtam mulctam infligendo, id agi, ut fortunæ exhauriantur, ſed ut eorum animæ ab erroris tramite ad viam ſalutis revocentur. At enim malè habet hominem, quòd in rapacium miniſtrorum ſacculos pecunia iſta transfunditur: ídque *non ſine ignominiâ Regis* factum eſſe dicit; quaſi verò ſolus Princeps noſter is eſſet, qui in rebus pecuniariis miniſtris paulò rapacioribus uteretur; aut hoc quoties contingit, Principis id vitio aſcribi debeat, non infęlicitati: quanquam hanc ipſam maculam quam primum deprehendiſſet Rex, ſtatim mulctas illas

&

& colligendi & erogandi ordinem immutavit, ejúsque rei curam Archiepiscopo Armachano Eleemosynario ad hoc ipsum munus constituto, demandavit: quam ipsam rationem si usus non comprobaverit, alia fortasse, & quidem commodior, excogitabitur; non quæ vobis complaceat (quis enim morosis placere cupiat?) sed qua pecuniæ illæ sic collectæ in debitos & pios usus convertantur, & legibus ipsis, quia qua jubent, non licet, qua fieri potest, satisfiat.

Resp. ad quartam Calumniã de excommunicatione in eos ab Archiepiscopo Dubl. lata.

Supereſt nunc ut de aliâ non minus acerbâ, ut ait Analectes, tribulatione, id est, de censurâ excommunicationis, dicam; qua suorum nonnullos cum ab aliis, tum præcipuè ab Antistite Dublinensi, afflatos fuisse queritur. Est hoc quidem verum, Reverendissimum illum in Christo Patrem Archiepiscopum Dublinensem in eorum aliquos excommunicationis sententiam promulgâsse. Sed quibus id rationibus inductus fecerit, quantáque moderatione, pietate, zelo in eadem ferenda usus sit, ipsius potiùs quàm meis verbis intelligetis.

Sententia Excommunicationis.

Apud acta Curiæ Consistor. Dublin.

Qua in re, quid est, quod reprehendat Analectes? nisi illud fortasse sit, quòd in tantâ perversorum hominum, & malè de Religione Christianâ sentientium, multitudine, Iudex plures quàm octo eadem sententiâ non sit complexus: Sed videtis, opinor, Præsulis nostri non solùm moderationem, sed etiam prudentiam: *Ideo*, inquit, *aliquos in iudicium vocare volui, ne malum illud in Ecclesiâ impunitate cresceret: plures autem nolui, ut pœna ad paucos, metus*

tus ad omnes perveniret: Nam quod ſic excommunicatos provocari quidem poſſe, alteri verò litem quâcunque de causâ intendere non poſſe, ais: Iſta quidem non hominis, ſed juris vis eſt, & ſententiæ effectus: non is quidem à noſtris hominibus primùm inventus, ſed à veſtris acceptus: At enim veſtri homines præſulum noſtrorum excommunicationes non multùm curant: tantundem opinor, ac alienæ ſuperſtitioni dediti, veræ Eccleſiæ cenſuras curare ſolent: ſed inde tamen factum eſt, ut ſi qui in ſententiâ & ſtatu excommunicationis, per quadraginta dies, ſteterint, brachium ſeculare contra eos invocetur: non ut umbris, quod tu ais, motum & vitam addant, ſed ut, quos Dei timor à malo non revocat, legum vis & authoritas ad officium reducat; quâ tamen ipſâ authoritate, non in vincula, non in nexum & nervum rapiuntur, ut majoris invidiæ concitandæ cauſa improbiſſimus Analectes narrat, ſed in cuſtodiam traduntur, eò tantiſper manſuri, donec de parendo juri, & ſtando mandatis Eccleſiæ, quod ſatis ſit, cautionis dederint.

Itaque Analecta, cave, méque monente, etiam cave, ne iſta tam querulè, tam garrulè tam verboſè comemorando, non tam quod factum ſit reprehendere, quàm quid faciendum ſit, docere videare: ſed alius monendi erit locus; Nunc ad inſtitutum redeo. Cùm igitur qui ab Antiſtite Dublinienſi excommunicati fuerant, ultra quadraginta dies in eadem contumaciter perſtitiſſent, hunc eorum tam gravem contemptum Domino Regi, ut moris eſt, Antiſtes ſignificavit: Inde Rex, pro excommunicatis capiendis, & cuſtodiæ mandandis, ſcripſit: ubi cùm

cùm aliquandiu remansissent, sub Comitiorum fine, Rex, ut solet, generalem subditis suis condonationem, & delictorum, quibus sine gravi exemplo & Reipublicæ pernicie ignosci possit, gratiam fecit. Quâ promulgatâ, exorta confestim quæstio est, utrum generale illud Principis indultum, etiam ad excommunicatos pertingeret, ut illi eodem beneficio gaudere possint nécne? Re utrinque disceptatâ, omniúmque animis ad lenitatem & gratiam, ut in communi lætitiâ, propendentibus dictum est, gaudere posse. Itaque custodia, quâ antea tenebantur, beneficio Principis liberati sunt. Sed enim nodosa hæc quæstio tanquam maceria interposita, ligone, ut fertur, argenteo pertusa fuit, inquit Analectes: Rectè quidem veterum aliquis dixit, Benefactum malè locatum malefactum arbitror: Nusquam autem deterius locatur beneficium, quàm cùm hominibus superbis & ingratis confertur; qui dum sibi putant deberi omnia, nullius unquam beneficii recepti gratiam aut habere possunt, aut referre volunt; nec eo contenti, optimè de se meritos maledictis onerant. Ligone, inquis, argenteo, ut fertur, ad eorum liberationem facta est via: Dic quæso, Accusator, quis nummos illos numeravit? cui numerati sunt? aut quod tu in toto illo negotio, avaritiæ vestigium reperisti? ut fertur, inquis: siccinè te, cum totius Reipublicæ & Iudiciorum nostrorum discrimine, vagari decet, ut sic certum crimen, non solùm nullo certo teste poneres, sed ne reum quidem aliquem in quem inquiri posit, nominares? ut dum nemo certus vera infamia premitur, omnes qui in judiciis versantur, saltem suspicione

Resp. ad calum. De gratiâ Domini Regis ab Archiepiscopo in irritum revocatâ.

corruptelę, & repetundarum laborare videantur? *At certe,* inquit, *breve hoc illis gaudium fuit: quidenim valuit illa miserabilis absolutio & comitialis indulgentiâ, quam pro magno Regis beneficio & summa clementia venditant quidam Regij Parasitæ? quin ludicra potius & ridicula censeri debuit ista liberatio, qua qui videbantur liberi, nulla nova culpa admissa, in eosdem quos exuerant casses, reincidebant.* Quid hoc est, quod ego à te audio, Analecta? nulla nova culpa admissa? Quis te ista tam audactèr, & in tam gravem tanti Principis beneficii contumeliam, præsertim tam falsa pronunciare docuit? Nam quòd iidem homines in excommunicationem, post aliquot menses, reinciderant, verum id quidem est, sed quòd in eandem, quod nulla nova culpa admissa, hoc falsum cùm sit, & à te vel nequitèr confictum, vel temerè creditum, certè ad contumeliam Principis, & injuriam Reverendissimi Patris, affirmari non oportuit. Subîerat nempe Reverendissimum *Antistitem*, subîerat & aliorum animos, spes, fore ut vel pœnâ quam passi, vel Principis indulgentiâ, quâ usi fuerant, ad legitima imperia facienda vestri illi promptiores redderentur: quæ cùm fefelliſſet, idem *Reverendissimus Pater* eosdem iterum in jus vocavit, vocatos, ut antea, monuit; cúmque eos mandatis suis legitimis & piis, rebelles perstare cerneret, debito juris ordine servato, rursus, ut antè, in eos sententiam excommunicationis protulit.

At enim *beneficium Principis decet esse constans et diuturnum*: decet planè, si in eo, cui gratia semel facta est, morum in melius facta mutatio reperiatur.

Alioquin

Alioquin cui, furti, latrocinii, aut alterius criminis, venia semel à Principe facta est, is in eadem vel furandi, vel latrocinii aut adulterii consuetudine perpetuò, & quidem impunè vivet. Aliter si fiat, periculum, opinor, est, ne Princeps in beneficio locando levitatis & inconstantiæ arguatur. Tu verò, tuíque similes, Analecta, quos malè docuit clementissimi Principis facilitas nimia, simili beneficio opus cùm habueritis, usu, precor, paululùm careatis, ut quod fruendo fastiditis, carendo, quanti faciendum sit, scire incipiatis.

Video profectò me in his fuisse longiorem: sed cùm ista, tanquam præcipua quædam & atrocissima injuriarum & afflictionum capita, per quæ de cæteris conjecturam fieri vellet, ab Analectâ proposita esse cernerem, ea leviter transeunda non esse arbitrabar: ut cum in istis quæ ut gravissima recensentur, nihil sine summâ ratione, æquitate, moderatione, aut factum aut constitutum fuisse reperiatur, in cœteris quàm vanæ sint seditiosissimi hominis querimoniæ, quàm inanes fletus, planctusque lugubres, quos in omni causa, tanquam in privato funere edere consuevit, æqui rerum æstimatores quotquot estis omnes, facilius intelligatis.

De quatuor aliis Anglicanæ crudelitatis exemplis.

Resp. ad calumniam primam de confiscatione bonorum.

Ac ne quid in hoc genere tacitus preterîisse, aut cui, honestè respondisse non possim, probrum objectum dissimulasse videar: Quatuor illa exempla, quę tanquam expressa Anglicanæ in Hibernia crudelitatis vestigia in secunda ad Lectorem epistola narrantur, hîc recensebo: quorum illud primum est, quod quidam Hamlinus nomine, cùm ad oppidum Derrienſe mercandi causa, olim appulisset, bo-

norum ſtatim omnium direptionem paſſus ſit, quòd ſe juramento Primatus obſtringere recuſaſſet: *neque mirum*, inquit, *cùm in novis Coloniis, quarum Derrienſis illa una eſt, nemo ad commercium admittendus ſit, niſi qui juramento illo ſe obſtrinxerit*. Haud negaverim, non levem hanc eſſe querelam; ſed veram eſſe nego: Magiſtratus certè & officia, & munera quædam publica, ex hac cauſa legibus interdicta eſſe, jam dictum eſt: ſed quòd nemo, vel in novis illis Coloniis, vel alibi in Hiberniâ ad commercium admittendus ſit, niſi prius per eum præſtito de Primatu Regis juramento, Miror Analectæ, tam tetricè, tam rigidè in nos cenſuram agenti, ut affirmaret, in mentem venire potuiſſe. Quid enim? Nemón' alius præter Hamblinum ad Derrienſe oppidum? nemo Colranum? nemo ad Ferguſii Rupem? Strangfordiam nemo? nemo ad alia illius Coloniæ Emporia mercatum venit? At ne ipſi quidem Coloni, qui illis in locis, mercaturæ faciendæ cauſa, ſedes ſuas collocarunt, id æquo ferrent animo, ne ſuis ipſi commodis & utilitatibus obſiſtere viderentur. Eſt enim, ut ſcimus, Mercatorum gens avara, quæque pecunias, abſque diſcrimine religionis, omnes, ſed quò magis Catholicas, & per univerſum currentes, eò ut magis probas, ſtudioſiùs appetunt & acquirunt: Falſum eſt igitur, & merè falſum, ullam in illis coloniis talem commercii legem Mercatoribus eſſe conſtitutam. Sed ad ipſum Hamlinum redeo: Equidem cùm iſta legerem, etſi tale nihil fieri potuiſſe ſatis intelligerem, cœpi, tamen animum advertere: tandem multum diuque, ut in re obſcu-

râ,

râ, quærendo reperi, Hamlinum illum ex villâ Pontanâ esse, hominem quidem minimè malum, sed Mercatorem tenuem : cujus servus, nomine Thonderus, octo abhinc vel circitèr annis, Dirrheam mercandi causa venit : Ibi ponderibus, non dicam, falsatis, sed tamen dolosis, suspectis, vetitis, mercari cœpit : Denunciatum est ei, ne faceret : sed frustra ; iisdem ponderibus mercari perstitit : huc accedebat, quòd cum ex loci illius lege (suæ enim cuíque Civitati leges sunt) extranei ab extraneis filum lineum emere prohibeantur : Thonderus tamen ille, contemptâ lege, & spreto Magistratus imperio, extraneus cùm esset, ab extraneis, ad sex librarũ valorem, filum emit : id cùm & apertè, & in manifestum, cum legis, tum Magistratus contemptum fieret, Major urbis, tentari patientiam ratus, & legis authoritatem, ut in novâ urbe, vel edito in eum exemplo, firmandam, vel eoimpunè dimisso, in perpetuam amittendam esse videns, legitimâ potestate usus, filum adversis legibus emptum publicum esse jussit, & loci ærario vindicavit ; Tum demum Thondero omnis cadere ferocia ; & ad preces conversus bona sibi dempta condonari petiit : petiit & impetravit : integrâ fide restituuntur : Aliquid tamen adhuc Thonderus in lictorum manibus, restare dixit : negabant illi : & quantum sciri potuit verè negabant : neque verò ultra sex aut ad summũ octo fili libræ omnino desideratæ dicebantur : quæ dum caperentur & rursus redderentur bona, nulla lictorum culpa, intercidisse forsitan potuerunt : Verumtamen homo querulus, se spoliatum, se vexatum, se bonis omnibus eversum clamitare

mitare cœpit: Atque hinc orta illa de bonis Hamlini confiscatis fabula: Quæris, quî sciam? habeo Iohannis Vaughan militis, qui tum Dirrheę Major, sive summus Magistratus erat, literas: habeo aliorum honestissimorum hominum hanc in rem testimonia: Ipse denique Hamlinus Pontanæ adhuc superstes vivit: qui interrogatus, hæc omnia, ita ut à me descripta sunt, vera esse non negabit: Itaque ve-cordiam hanc tuam alii rident, alii stomachantur: Me verò unum tui miseret, Analecta, te virum alioquin nec indoctum nec imprudentem, in tam apertam fraudem tam facilè impelli potuisse. Sed hic profectò ingenii humani mos est; quod nimis volumus, hoc facilè credimus: Tuque, Analecta, dum prȩcipite quadam malè de nobis dicendi cupiditate rapereris, quod tibi super cœnam fortè quispiam narraverat, id non solùm ipse avidè arripuisti, sed eiam nullo delectu, nullâ famæ tuæ curâ, nullo pudore, quod nec verum est, nec verisimile, ac si cõperta & explorata essent omnia, his Analectis tuis inserere, & posteritati tradere non erubuisti. Pergis verò, Analecta: *Et hoc verò tolerabile est, inquis, homines ab hominibus ita tractari, sed quanta feritas? si in homines dimittantur canes? quod fide digno tamen testimonio fertur, à quodam vicecomite factitatum: qui fugientes quosdam Catholicos, immissis in eos molossis, ferociter in sequebatur ipse.* Magnam certè in factis nostris feritatem agnoscerem, si ullam in verbis vestris veritatem reperirem. Sed enim querela ista priorem illam, quod fieri vix posse putes, vanitate superat: Midiæ Orientalis illo anno vicecomes erat *Williel-*

Resp. ad secundam de Canibus in eos immissis.

mus

mus Sedgravius, natione Hibernus; is apud Iuſtitiarios, hujus tantæ immanitatis accuſatus, ad cauſam dicendam evocatur: coram cùm veniſſet, & crimen objectum audiviſſet, mirari ille primùm, quam hujus accuſationis cauſam aut anſam habuiſſent: tandem non eum, ſed ex ſervulis ejus unum hujus facinoris reum eſſe dicebatur: Mandatur igitur & ſervus; causâ cognitâ, apparuit, quòd cùm ille fugientem reum perſequeretur, canis, non ille quidem Moloſſus, ſed quem fortè comitem habebat, ad equorum curſum, ut fit, concitus, fugienti reo, vel, ut alii ſanctiſsimè affirmant, pecudi juxta paſcenti, idque ſponte ſuâ, non hortatu domini, oblatrare cœpit: Itaque & ſervus, utpote nullius feritatis admiſſæ reus, noxa omni ſolutus, abiit: quam utique non evaſiſſet, ſi miniſterium ſuum tam intemperantèr exercuiſſe argui potuiſſet: Neque verò, Analecta, iſta feritatis & ſævitiæ exempla, apud noſtræ vel gentis, vel religionis homines quærenda erant; iſta *Pizarros*, veſtræ, ô Analecta, diſciplinæ homines, magis decent; qui, ut teſtatur *Benſo Genuenſis*, oculatus harũ rerũ teſtis, cùm primùm in Americam appuliſſent, gentémq; barbarã in ſervitutẽ redegiſſent, inter cætera crudelitatis exempla, venaticos ſuos, longo ad id uſu inſtitutos, & fame inſuper efferatos, in miſeros utriuſq; ſexus homines non ſupplicii (id enim in irato domino utcunque tolerari poſſet) ſed ludi, animíque & voluptatis, vel potiùs libidinis ſuæ cauſa immittere ſolebant; ut dum ferociſſimorum canum dentibus humana, & quidem viva, delacerarentur corpora, ipſi tam fœdo, tam diro ſpectaculo, non ſolùm animis,

mis, ſed etiam oculis, fruerentur.

Sed habet tamen iſta crudelitatis noſtræ accuſatio veritatis umbram : canis enim, etſi neminem mordebat, tamen criminosè admodum homini catholico oblatrabat. Quòd verò ſequitur crimen, hac ipſa veritatis umbra deſtituitur. Neque enim adhuc ſubſiſtit, inquit, tota illa immanitas : quæ ſi ultra vivos ſe non porrigeret ad defunctos, excuſari utcunque poſſet. Sed nec mortui ſunt immunes : nam quod ſacrilegii ſummum eſt ſupplicium, hoc ad pietatis noxam trahitur : nempe *Catholici*, inquit, *qui Proteſtantium vano afflati ſidere cenſurarum, noluerunt ſe funeſtæ eorum devovere expiationi, in trivio ſepeliendi ſunt, adacto per pectus ſtipite.*

Ad tertiam de excommunicatis, adacto per pectus ſtipite, in triviis ſepeliendis.

Hæc nimirum, & alia à te tam ſtolidè, támque ridiculè, & abſque omni probabilitate aut causâ nobis objecta crimina, magnam pleriſque admirationem faciunt, quis ſit? unde? cujus diſciplinæ? ſanæ mentis, an inſanus? rectâ ratione præditus, an ſenſu communi deſtitutus, Analectes? ſtipite per pectus adacto, in trivio ſepeliri, ſacrilegii ſummum ſupplicium eſſe dicit. Si hoc apud alias gentes ita fieri contendat, & ſi non exiſtimo, non repugno tamen : nos verò nec in ſacrilegos, nec in excommunicatos, iſto ſive ſupplicii, ſive contumeliæ genere utimur; ſed in eos ſolos, qui quâvis de causâ ſibi mortem conſciſſe comprobantur. Nam & Plato olim, hoc maleficii genus, nullis ſacrificiis procurandum, ſed Deo relinquendum eſſe cenſuit : ipſum verò corpus ſine pompâ funebri extra fines efferri, & in loco ſolitario defodi juſſit; nominis autem & memoriæ causâ, vel ſtatuam locari, vel nomen ſepulchro

Plato de legib. lib. 9.

pulchro inscribi vetuit : nos, pro monumento, sudem defigimus ; & eum palo mortuum induimus, qui se vivum ferro induere non dubitavit. Itaque quæ sit nostrorum hominum, dum ista legunt, de vobis sententia, te non celabo, Analecta. Dignos profectò vos esse putant, in quos gravius aliquid statuatur, ne verarum querelarum inopia, ista tam ridicula, tam insulsa, tam falsa confingere opus ultra habeatis. Sed supereſt adhuc ultima simul & gravissima in nos accusatio : ea vero est, quod excommunicati vestri, si nobis insciis avitæ sepulturæ traditi fuerint, exhumandi sint, tanquam Christiani gregis Anathema. Benè est, quòd ex quatuor istis querelis, saltem una sit quæ veritatem in se habeat : habet, inquam, ista accusatio in se veritatis aliquid, sed nihil ponderis, nihil quod quis negatũ esse velit, nihil quod non jure factum esse constet ; nempe excommunicatos eodem nobiscum sepulturæ honore frui nolumus : quâ in causâ, vestros vobis Canones revolvo. Sanctis est Canonibus institutum, inquit Innocentius, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis ; & ut careant ecclesiasticâ sepulturâ, qui prius erant ab ecclesiasticâ communione præcisi : unde si contingat interdum, quòd excommunicatorum corpora, vel per violentiam aliquorum, vel alio casu in Cœmiteriò ecclesiastico tumulentur, exhumari debeant, & procul ab ecclesiasticâ sepulturâ jactari. Hoc nos jure, non ab Innocentio vestro, sed ab antiquis Ecclesiæ Patribus, constituto utimur. Quæro igitur, nos ne culpandi, qui jus uostrum & leges defendimus, nec excommunicatorum cadaveribus

Resp. ad quærtã de excommunicatis non sepeliendis.

Cap. Sanct. x. de sepulturis.

veribus ſepulchra noſtra temerari patimur; an vos reprehenſione digni, qui contra jus & fas, moremque loci, non ſolùm corpora veſtra inferendo, Cœmiteria, quæ vetuſtas ſacra eſſe voluit, polluitis, ſed etiam ſanctiſſima Templa noſtra, quæ vivi ingredi non vultis, pravâ cupidine mortui violare deſideratis? uſque adeo quæ in nos ab Analecta iſto conjecta ſunt probra ad unum omnia, vel pondere carent, vel veritate.

De Parallelo ſive comparatione inter Anglos & veteres Eccleſiæ perſecutores inſtitutum.

Sed ad ipſam nunc Analectorũ ſeriem redeo: in quibus ne quid tacitum relinquat Accuſator, quod ad ſereniſſimi Regis noſtri, imperiique Anglicani, aut legũ & Reipub. noſtræ, invidiam cumulandam conferat, Parallelum, ut loquitur, id eſt, comparationem, inter infames illas & barbaras Imperatorum Romanorum adverſus Primitivam Eccleſiam perſequutiones, & has legitimas planéque civiles clementiſſimi Principis adverſus Romanam ſuperſtitionem pœnas, omni qua poteſt, arte, ingenio, & verborum ornatu inſtituit.

Reſp. ad calumniam ejus primam de cædibus.

Quid enim, inquit, *eſt, aut unquam extitit in quacunque Procellâ aut Conſiliorum, aut adverſus Chriſti fidem perſecutionis, cuius non degustavit aliquam particulam: niſi etiam quandoque plenam amaritudinis Calicem coacta ſit epotare afflicta Hibernorum natio: Infideles, inquit, contra Chriſtianos ſæviebant, eorum libertatem, facultates, vitamque exhauriendo: quarum perſecutionum* Auctores ponit; *Neronem, Domitianum, Traianum, Aurelium, Commodum, Severum, Decium, Valerianum, Dioclesianum & Maximinum*: Quorum Nero uſque adeo non ira ſed libidine in Chriſtianos ſæviebat, ut eorum *Cadavera*

Romæ

Romæ per vicos concremari, & ad lucem nocturno tempore præbendam succendi jusserit; nec illo mitior *Domitianus*: sed utrumque *Decius*, & illum *Diocletianus*, cum *Maximiano* conjunctus, crudelitate superabat: quibus imperium obtinentibus, decem & septem Christianorum millia unico mense morti tradita fuisse memorantur. Oportet igitur profectò non solùm magnam esse, & pene incredibilem, & portenti ac prodigii similem, verùm etiam claram, & certissimis indiciis, argumẽtis, testibus ostensam esse Anglorũ in Hibernos crudelitatem, si eam accusator cum *Neronis & Diocletiani* laniena comparare velit: Quid ni? inquit: *nam documenta quotidiana clarum hoc testatumque faciunt: quando alij libertate, alij bonis, alij etiam lucis usurâ privantur, ut quidam pater societatis Iesu N. N. nuper prehensus, & qui eum hospitio susceptt, grauitèr mulctatus, illustris Baro, qui etiam nunc detinetur in carcerali custodiâ, sui cognati causâ, quem jure sanguinis, & Religionis sibi propinquum recentérque appulsum non putavit excludendum à communi jure hospitilitatis: Alij diversorum ordinum Sacerdotes, laici etiam abundè, hoc testari possunt: nec magis id celari queat, quàm sol in meridianâ luce, quæ abscondi non potest.* Quid hoc rei est, Analecta? An tu hoc indicio Anglorum crudelitatem Neronis, Decii, Diocletiani, Tyrannidi æquandam putas? neque verò causam hanc ego sic nunc defendam, ut N. N. quod ipse fateris, Iesuitam, id est, ipso genere, incendiarium, Regis hostem, regni pestem, pacis publicæ & communis omnium nostrûm tranquillitatis perturbatorem, contra edictum Principis in regnum reverti,

Sueton. in Nerone.

Socrates.

N. Nugent Iesuita.

Baro de Insquin.

ti, reverſum hoſpitio recipi, receptum foveri, aut quocúnque vel ſanguinis, vel ſuperſtitionis prętextu, celari non oportuiſſe dicam: fuerit ſanè N. N. vir bonus & rectus, illuſtris verò Baro ille, vel edictum Principis ignoraverit, vel fallere ſperaverit, vel ſanguine ſimul & ſacrorum jure conjunctum hoſpitem repellere, ejicere, prodere, vel pudori ei, vel religioni fuerit; quid hoc ad cauſam? quid ad infamem illam Principis noſtri cum Nerone, aut Diocleſiano comparationem à te inſtitutam facit? Nempe ut judicia noſtra cum ſanguinolentis eorum factis ritè comparaſſe videare, unicũ Sacerdotem prehenſum, unicum hominẽ ob edictũ Principis violatum, cuſtodia detentum fuiſſe narras: Quid? hoccine rem ſatis teſtatam facit? hoc luce meridiana, quę abſcondi non poteſt, clariorem reddit? cui tu hoc judici probaturum te eſſe confidis? neque tamen ego nunc ad æquos rerum æſtimatores te revoco: Ipſe enim, nec dubito, *Tyronæus*, cujus tu nunc reliquias colligis, ſi viveret, te vel amentiæ, vel calumniæ condemnaret. Quid dico *Tyronæum*? te ipſum appello: ingenuè, inquis, fatendum eſt; omnia quæ patimur, ſi comparentur cum his quæ ſuſtinuit Eccleſia Primitivorum, umbram eſſe ſolummodo, vel ſimulachrum perſequutionis: & rurſus: in ſupplicatione illâ quam Regi *Hiſpaniarum* à veſtris non ita pridem porrectam fuiſſe memoras, parcitur, inquis, utcunque fundendo ſanguini; ſed lento facultatum exuctu contabeſcunt: Cur igitur, quod uno inloco perſequutionis umbram ſolummodo & ſimulachrum vocas, id in alio cum *Nerone, Decio, & Diocleſiano* comparas?

Analect. obſervatione 26. pag. 433.

26 pag. 441.

ras? Cur quos sanguini vestro, hactenus pepercisse ibi agnoscis; hic Domitiano & Maximiano similes esse vociferaris? Nisi te horum Analectorum alia sobrium, alia ebrium collegisse fateri velis. Venio nunc ad secundam *Paralleli* partem: *Secundò*, inquit, *ab infidelibus sævitum fuerat in Christianos, scripturam sacram comburendo; quorum ingenium per quam benè imitantur nostri sectarij mutilando depravandóque sacros codices, exterminando etiam, & incendijs devovendo Ritualia nostra, sacras reliquias & Sanctorum imagines, ut omittam Iuris canonici & sacrorum interpretum combustionem, &c.* *Resp. ad secundam de Scripturis sacris comburendis.*

Diocletianum igitur Imperatorem ex Eusebio scripturam sacram combussisse doces: hujus verò ingenium in eo, nos imitari ais, quod Ritualia vestra, vestras reliquias, & Sanctorum imagines abolemus: quasi verò nō ideo hæc omnia abolenda esse censeamus, quod eorum abusum cum sacris scripturis pugnare intelligamus? Tametsi nos reliquias Sanctorum non aspernamur. ne imagines quidem eorum repudiamus, si memoriæ causâ adhibeantur, omnis verò ab eis cultus amoveatur: Sed in hâc re multiplicitèr à vobis peccatur, Analecta: Primùm enim falsas & reliquias & imagines pro veris obtrudere soletis. Deinde nefariorum hominum, & jure cæsorum, ut modo *Garneti*, ut sæpe aliorum, picturas, partim in Penetralibus, partim in Templis, tanquam Martyrum & Sanctorū proprias, adoratis.

Quod si quas verorum Martyrum & Sanctorum reliquias & imagines retinetis, eas, dum adoratis, idola facitis: Nam si, quod antea ex Ludovico dixi, nulla sit inter vestram de Sanctis, & Ethnicorum

corum de diis ſuis, opinionem differentia, quid, quæſo, inter veſtras & illorum imagines, ad cultum quod attinet, intereſſe poteſt? Illud ſcio, Marcellinam, Corpocrati in ſecta ſociam, inter hæreticos à beato Auguſtino recenſeri, quòd Ieſu & Pauli imagines colerent adorando, in cenſumque ponendo: Uſque adeo veteres illi Chriſtianæ religionis duces, Idololatriam & hæreſim eſſe judicabant, ſi quis, non Iſardi, aut Finbarri, aut Maclinii, aliorumve Gentilium Hiberniæ Divorum, ſed beati Pauli, vel ipſius Ieſu Chriſti imaginem coleret aut adoraret: qua de re libentèr & latiùs diſputarem, niſi me ſuſcepti operis modus ad ulteriora traheret. Quoniam tamen nos tanquam Diocleſiani ſectatores inſimulas, & accuſas, vide, quæſo, quo modo, quod in nos conjectum, probrum eſt, in vos retortum, verum crimen eſſe reperitur: Vide, inquam, quanta ſit inter vos, & illum ſimiliudo; Scripturas ille ſuſtulit, vos mutilatis; Scripturarum ille literas, vos ſenſum corrumpitis; ille membranas igni tradidit, vos Scripturis ipſis auctoritatem & fidem demitis: ille ne eſſent, curabat, vos ne à turbâ fidelium, aut legi poſſint, aut intelligi, providetis: Quid autem intereſt ſacras Scripturas tollat quis, an legi vetet? aut utri magis Diocleſianum imitamur? nos, qui vitam ipſi perdere, quàm unicum Scripturarum apicem perire malumus, an vos, qui religionem chriſtianam non Scripturis divinis, ſed traditionibus humanis ſtare creditis?

Aug. lib. de hæreſ.

At ſacros Scripturarum interpretes abolemus: imo verò, qua decet, qua licet, qua par eſt, colimus: hoc eſt, non Scripturis propter illos, ſed illis propter

ter Scripturas credimus. Hos, inquit Augustinus, ita lego, ut quantalibet sanctitate & doctrinâ polleant, non ideò verum putem, quia ipsi senserunt, sed quia mihi, vel per alios authores canonicos, vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorreant, persuadere potuerunt. Itaque quòd nos sacros Interpretes flammis tradere solitos affirmas, id quidem falsum est: quod verò sequitur, & falsum est, nec, si maximè verum esset, crimen omnino contineret: jus enim canonicum comburere nos aïs. Lutherus quidem, cùm scripta sua à Papâ damnari, & Romæ in foro publicè cremari accepisset, ut par pari Papæ retulisse videretur, juris canonici libros *Wittembergiæ* solemniter combussisse dicitur: nos verò eos, ut scis, ad usum forensem retinemus. Sed finge crematos: an tu ideò nos *Diocletiano*, qui sacras Scripturas ad flammas damnâsse noscitur, similes esse dices? Prorsus ita res est: decretales Pontificum Romanorum epistolas, tanquam sacras Scripturas, tenendas esse, docent Pontificii.

Ep. 19. ad Hieron.

Sleidan.

Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint, inquit Gratianus: hoc igitur illud est, quod nos *Diocletiano* comparat. Sustulit ille Scripturas: nos imagines, reliquias, & Decretalia quædam Pontificum Romanorum constituta tollimus. Quibus quoniam illi parem cum Scripturis sacris authoritatem tribuunt, ideò par in utrisque violandis scelus esse clamant.

Distinc. 19. c. 19.

Nec his contentus Analectes, etiam Iuliano nos pares esse scribit: is enim erat tertius comparationis locus. *Etenim sævitum*, inquit, *olim ab eo fuit, pro-*

Resp. ad tertiã, de prohibendo scholas Pontificiorum.

prohibendo ſcholas Chriſtianorum : in quo etiam ſe non præbent illo ſegniores hæretici, tam domi prohibentes noſtram iuventutem à catholicâ educatione, quam etiam in tranſmarinis Collegiis, quæ noſtri ſortiti ſunt, in diverſis regnis & provinciis Catholicorum Principum.

Hic illud primùm à te quæro, Analecta : Quo auctore Iulianum Chriſtianorum ſcholas vetuiſſe probas ? neque enim illud, aut Socrates à te laudatus, aut alius quivis, quem ſciam, probatus Author, unquam dixit : quin illud potius narrant omnes, Iulianum, lege latâ, vetuiſſe, ne Chriſtiani Ethnicorum ſcholas, ſtudiorum causâ, frequentarent : *ne noſtris,* inquit, *telis nos oppugnatum veniant ; & noſtrorum hominum technas, elenchos, nodos, eiſdem inſtructi artibus, eludant.* Quare, lege illâ à Iuliano promulgatâ, prodierunt ſtatim Apollinarii duo, uterque in ſua arte clarus ; qui Chriſtianam juventutem, alter Dialectica, alter Rhetorica, ambo Poetica, aliiſque, quæ Ethnicorum propriæ videbantur, artibus ſic inſtruebant, ut illorum ſcholis facile jam carere poſſe Chriſtiani viderentur, ut idem teſtatur Socrates.

Socrat. lib. 3. cap. 10.

Cap. 14. eod.

Itaque ſi nos juventutem veſtram, Analecta, à ſcholis noſtris repelleremus, profectò hæc inter nos & Iulianum quamvis improbè, non tamen ſtolidè à te inſtituta eſſet comparatio. Nunc verò, cùm cujuſ-cujuſmodi noſtra ſit Religio, veſtros tamen omnes non ſolùm ejus inſtitutis imbui, verùm etiam artium & ſcientiarum omnium præceptis excoli, tam ſedulò curemus, quid habes præter amentiam & immoderatam malè de nobis dicendi libidinem,

dinem, propter quod nos Iuliano pares aut similes esse dicas? Sed esto: Iulianus, Apostata cùm esset, & à Christianæ Religionis castris transfuga, Christianorum scholas aperiri vetuit: nos igitur illi similes, qui juventutem nostram vobis erudiendam tradere non audemus? quasi verò in omni bene institutâ Republicâ ita non esset comparatum, ut pueri à teneris annis ita statim instituantur, ut mores castos, rectámque disciplinam, animúmque quietum & integrum, & à patriis legibus non abhorrentem, imbibant. Multùm enim interest, quibus pręceptoribus tradatur adolescentia: cerea est, & ad quoslibet mores, pro arbitrio præceptorum, formari facilis. Itaque Cæsar Augustus, cùm popularem statum è Republicâ Romanâ sustulisset, ex Męcenatis sui consilio diligentèr cavisse dicitur, ne quis civium liberis instituendis præficeretur, nisi qui ad Monarchiæ studium toto animo propenderet. Etenim quod prudentissimus *Zenophon* in Persis laudat, id solertissimus Imperator inter suos servari jussit. Cuilibet liberos suos pro suo arbitrio educandi jus esse noluit; nec id injuria: non enim nobis, sed Reipublicæ, liberos generamus. Itaque si Reipublicæ intersit, ne quis re suâ malè utatur, quantò magis interest, ne quis liberos suos, malis præceptoribus, vel perdendos tradat, vel tradendo perdat? Atqui tales sunt, ad unum omnes, in Hiberniâ Romanæ Religionis Sacerdotes & Magistri: Papalem tyrannidem legitimo Principis præferunt imperio, & pravas de præsenti rerum statu opiniones discentium animis instillant: quod quoniam, ne fiat, providemus, Iuliano similes nos esse

περικύρου [illegible]
δείας [illegible]

clamant: ſuſtulit nempe ille Chriſtianorum, nos Catholicorum Romanorum ſcholas tollimus; utinam verò, quorum nomen & umbram retinent, eorum fidem & religionem retinerent: quouſque enim vos ſervabit Majorum veſtrorum gloria? quouſque Petri Cathedram laudatis, à cujus doctrinâ defeciſtis? Fuiſtis Romani, fuit Roma, & ingens Romanæ Eccleſiæ per univerſum terrarum orbẽ gloria: nunc autem Roma quæ fuit, Babylon facta eſt; & Roma quid ſit planè neſcit, qui eam ſuperſtitionũ omniũ ſentinã eſſe non intelligit. Quin potiùs ad illam fidem, Hiberni, revertimini, quam perſequutus eſt Iulianus; ita fiet, ut & nos vobis juventutem noſtram concredere non metuamus, vóſque in nobis nihil, quod Iuliano ſimile ſit, eſſe intelligatis.

Ad quartam, de ſcholis in Hiberniâ inſtitutis.

Sed inſtat adhuc, urgétque & quarto in loco premit Analectes, ut nos infidelibus, Regem verò noſtrum, doctrinæ, prudentiæ, religionis, laudibus inſignem, nec ſuæ modò ætatis prmum, ſed etiam omnibus poſt Salomonem Regibus longè preferendum, Iuliano ſimilem eſſe doceat. Cauſam ſi quæris, hæc eſt; per ſingulas hujus regni Dioceſes, ſcholas quaſdam, quibus tenuiorum liberi non ſolùm ad vitæ cultum honeſtiorem, ſed etiam ad bonarum literarum ſtudium, ſumptu publico inſtituantur, extrui & ædificari juſſit: inſuper verò & Dublinii Collegium quoddam, ab Eliz: Reginâ olim extructum, ampliſſimis reditibus ditavit: Privilegiaque alia & libertates plurimas, cùm ad honorem, tum ad utilitatem & commodum ſpectantes, eidem tribuit. In quo quidem ſtudio, cùm alios,

os, tum præcipuè pupillos Regios, & sub Principis tutelà positos, summâ curâ, fide, diligentiâ enutriri statuit? Hoc igitur tam humanum, tam prudens, tam pium, Principis consilium, Iuliani sceleribus, & consiliis ab eo contra Christum ejúsque Evangelium initis, æquale esse docet. Quanto nos moderatius, qui Regem Hispanum *Duaci*, *Salmanticæ*, *Romæ*, aliísque in locis, Romanæ superstitionis alumnos, hujus & Anglicanæ gentis homines, non mediocri suo sumptu foventem; tametsi ut vicinũ malum molestè ferimus, non tamen ut impiè & nefariè agentem odimus: Imo verò, & si ex illis (ut vocantur) Seminariis, tanquam ex gladiatorum ludis, quotannis ferè Sicarios & homicidas, Regi, Regno, communi Patriæ pestem, perniciem, mortem, minitantes prodire non ignoremus, quoniam tamen, non ad hos usus, sed ad liberalium artium, & scientiarum, & quę apud Regem ita putatur, Theologiæ disciplinam comparata existimantur: Quis nostrum est, qui eum hac in re non laudandum esse putet? virtutem nimirum semper & ubique, & in quocúnque hominum genere repertam, laudandam esse ducimus: dignúmque profectò cum judicamus, qui veram religionem, per Dei gratiam, quandóque colat, quoniam quam veram esse putat, tanto cum studio & zelo promovet; Neque verò dici potest, Analecten istum, ore furioso & sacrilego, non in sereniſſimum Regem, sed vel in Ciceſtrium, vel in alium quemvis debacchari: Nam quod scholæ illæ instituuntur, quod Pupilli Regii in Academiâ, tantâ cum curâ, religione, industriâ nutriuntur, est quidem hæc omnis Regis ipsius

sius laus propria: nemo hujus gloriæ sibi partem vendicat, nemo se in hujus laudis societatem ingerit, nemo denique quicquam ad hoc præter studium & voluntatem attulit: Itáque aut sanctissimum Regem, aut neminem in his Iuliano similem esse dicit.

Neque verò satis intelligo quid sibi velit Analectes: artes enim coli, scholas frequentari, Academiam in Hiberniâ florere, queritur: Quid? An Hibernos omnes in pristino vivendi genere, id est, in summâ non solùm rerum ignorantia, sed etiam morum feritate, & ultima barbarie vivere & versari cupit? imo, inquis, Catholicorum studiis hæc deputari petit: non quæram quàm hæc sit injusta, iniqua, improba, sed quàm stulta, perversa, præpostera postulatio? prius enim quàm ista tam absurda peteret, Religionem & Disciplinam Romanam, castam, puram Deóque gratam; contra, nostram sacrilegam, impiam, & divinis præceptis adversam esse probare debuit: Quod quoniam in tanto utriúsque religionis conflictu, nec ille nobis, nec nos illi facilè probare & persuadere possumus, proinde ab his tam absurdis postulatis utrinque abstinendum erit. Quare quod Augustinus *Petiliano* respondit, idem ego tibi Analecta, qui in totâ hac re, illius petulantiam, & insulsam animi superbiam refers, respondebo: Ista omnia si & nos in vos dicamus, aut si à vobis postulemus, qui nos audiverit, insanos potiùs litigatores, quàm Christianos disputatores, si ipse sanus est, judicabit? Illud enim verè est litigare, pro documentis convitia ponere; & quod controversiæ caput est, pro judicato sumere.

Lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 5.

Su-

Supereſt nunc ut de quintâ & ultimâ Paralleli hujus parte dicam: quæ longè graviſſimam continere videtur accuſationem; *Etenim, inquit, Quemadmodum Gentiles calumniabantur innocentiam Chriſtianam varijs mendacijs & criminationibus: Ita noſtri adverſarij nituntur offuſcare Catholicorum gloriam diverſis contumelijs, eorúmque integritatem depravare confictis criminibus, & calumnijs apertiſsimis; nunc eos traducendo de maleficijs & proditionibus turpiſsimis, nunc onerando eos iniquis ſuſpicionibus, nunc comminiſcendo indigna conſilia, & molitiones, quarum odia & invidiæ illos reddant obnoxios.* Vtinam verò Analecta graviora de vobis & religione veſtrâ dici quàm credi poſſent: Sed eò jam res rediit, ut nihil ſit tam atrox, nihil tam incredibile; de quo, ſi vobis imputetur, fides & facilè & meritò non habeatur: adeò omnia apud vos fraudibus, cædibus, incendiis, & regnorum populorúmque ſubverſionibus abundant: Quę omnia ego hoc loco prętęribo, ne malè de vobis dicendi occaſionem temerè oblatã avidè arripuiſſe videar. Illud potius quæro, quâ ratione, quo argumento, quo exemplo iſtã calumniandi notã nobis inuris? *Vt*, inquis, *novo exemplo & modo inuſitato Quidã nobiles equúleo ſubjecti & membris omnibus luxati fuere, alij ſuſpenſi & diſſecti, ex indicio infami homuncionis.* Cur igitur, Analecta, innocentes hoſce homines nullo certo crimine, nullis teſtibus, ſed unius infamis homuncionis indicio, ut ais, damnatos, non nominas? ipſa enim nominatio, magnum, cùm ad illorum innocentiam oſtendendam, tum ad noſtram calumniam refutandam, præberet argumentum: Tamet-

Ad quintam de proditionibus & alijs criminibus in eos confictis.

De coniuratione in Hibernia facta, An. Dom. 1615. mense Maii.

si in tantâ suppliciorum paucitate, ab eo quod vis non facilè aberrare possumus: Itaq; tanti momenti rem, quam tu, ut satis notam, leviter attigisse satis esse putas, in obscuro manere non sinam. Anno igitur Domini nostri millesimo sexcentesimo & decimo quinto, nefarium in Ultonia inibatur consilium, ut cum principes quosque illius regionis viros, ex Parliamenti, quod Dublinii celebrandum erat, occasione, abesse contingeret, præcipuæ Anglorum Coloniæ, Castella, Urbes, conjuratione factâ, ferro & igne vastarentur: Inde initio facto, omnia armis & cædibus miscerentur, & novæ rebellionis fax, quo universa statim conflagraret Hibernia, accenderetur: Hujus conjurationis Principes erant *Rhodericus Ochanus junior, Brianus Neilus Crossæus, Arthurus Neilus junior, Chanus, Leighlinus Leuerteus, Sacerdos Romanus* & alii, inter quos erat quidã *Thaddeus Lenanus*, homo nequam & perditus: is ob alia sua scelera fortè prehensus, & in vitæ periculo constitutus, si vitæ suæ parceretur, operę pretium se Regi & regno facturum pollicetur: bono animo esse jussus, rem omnem aperit; confederati statim in vincula conjiciuntur: è quibus *Rothericus* ille *Ochanus*, qui dignitate cæteris præcellere videbatur, spe gratiæ factâ, rem omnem coram honorando viro *Arthuro Cicestrio, Prorege, Thoma, Dubliniẽsi Archiepiscopo, regni Cãcellario, Roberto Digbie* milite, & aliis qui Regi à secretioribus erant, ordine, & quidem eodem, quo antea à *Lenano* narrata fuerat, exponit. Idem *Crossæus* & ex reliquis confederatis multi interrogati, non fatebãtur modò, sed etiam cõfirmabãt, loca, personas, tempora,

ra, tam consonis verbis, tam certis indiciis designando, ut res ipsa propè manibus tangi & palpari videretur.

Nunc igitur ad causam redeo: Tu, ex unius infamis homuncionis judicio, quosdam novo exemplo quæstioni subjectos fuisse ais. Falsum hoc: Duo enim omnino cū essent, qui tormētis subjicerentur, neuter eorum ad quæstionem prius ducebatur, quā confederati alii, omnia, & de se & de aliis, extra tormenta fassi essent, quo nihil in judiciis vel justius vel moderatius servari potuisse constat: ut enim à tormentis incipere, non ad Iudicis sed ad carnificis officium & munus pertinet; ita post indicia, per omnia quæstionū genera, ad ipsum maleficii caput pervenire, omnes leges, omnia jura patiuntur.

Nam si infimi homuncionis indicio Iudicem omnino moveri non oportuisse dicis, horum judiciorum rationem te planè ignorare doces: Revolve enim historias, quarum non imperitus videri cupis, Analecta: atrocissimorum scelerum & nequissimarum confœderationum indicia ab ejusmodi ferè homuncionibus emanasse comperies: Infanda illâ Romæ Bacchanalia, an non Hispalę cujusdam, scorti publici, nec questu digni, & vilis excetræ, indicio emanabant? *Philotæ* cum aliis adversus Alexandrum conspirationem, an non *Nichomachi* cujusdam, virilis scorti, indicio patefactam legimus? Ipsa denique illâ Catilinæ conspiratio, an non impurissimæ fœminæ, & servulorum quorundam, quorum testimonium recepisset nemo, indicio evulgata fuit? Infinitus essem, si hujus rei exempla percurrere & proferre vellem. Quis enim tam simplex, ut

Livius Dec. 3.

Quint. Curtius.

Sallust.

si

si canem noctu vehementius latrantem audiat, saluti suæ, à furibus nocturnis, illo indice, non prospiciat? aut quis M: Manlio vitio vertat, quòd anserum clangore excitus, Gallos olim in Capitolium scandentes, de Rupe Tarpeia deturbavit? Pari quidem modo, Analecta, aut infimorum aut pessimorum hominum indicia negligenda non sunt: tametsi de sontibus, nisi rerum veritate penitùs explorata, supplicium sumere non liceat; quod in isto nefariorum hominum supplicio sanctè servatum fuisse docui. Hi sunt igitur præclari illi Catholici vestri, Analecta: horum nos gloriam offuscare, horum innocentiam calumniari nitimur; istos, nos in sceleribus deprehẽsos, convitiis premimus, rerúmque novarum, & proditionis, suis confessionibus apertissimè convictos, iniquis suspicionibus oneramus. Ita Catholici novi veteribus illis similes estis; Ita Angli infidelibus crudelitate & malitia Paralleli simus. Sed hic nunc Analectes, tanquam ex itinere lassus, feriari paululum, vel potius nugari incipit: de opulentiâ Hiberniæ, de egestate Hibernorum, de nativis terræ doribus, & uniformitate in rebus fidei agit: quam quidem non in hominibus magis quàm in ipsis jumentis reperiri, vel eo maximè argumento probat; *Quod cùm equum quendam non ita pridem illustrissimo Regi dono daret Cicestrius Prorex, sciscitatus Rex, si ex Hibernià esset; ubi rescivit, protinus subjunxit, Papistam esse oportere; significans omnibus ingenitam esse affectionem ad Romanam sedem.* Dixerit, hoc nécne Rex, planè nescio, nec alium quàm Analecten autorem habeo. Sed si dixerit, quid ad rem? affectionem nempe ad Ro-

De caballo papistico.

Romanam sedem communem illis,& jumentis, equísque & mulis, qui non habent intellectum, esse dixit : fidem verò Catholicam non illos, magis quàm hos,tenere sensit. Si verò Papistam etiam nominavit, non hoc solertissimus Rex ad religionem, sed ad mores retulit; veritus fortasse,ne quid pristinæ feritatis adhuc habentem, ne animosum, calcitrosum, malum, minùs aptum regi,domino quàm hosti magis metuendum inveniret. Hæc enim omnia iis insunt vitia, qui usque eo Romanam fidem colunt,ut se papistas dici, & in factiosi illius nominis consortium ascribi cupiant. Sed philosophatur adhuc Analectes, & in quo consistat vera opulentia,& fœlicitas Christiana docet : Ac si nos, homines indocti scilicet, & à Scripturarum scientia penitus alieni,mundana omnia perinde esse nesciremus,atque est illius animus,qui illis utitur. Sed illud est,in quod unum maximè animum intendit,ut nos Deo optimo maximo pro his tot tantisque pacis & affluentiæ bonis, quibus unà cum Evangelio, tam diu fruimur, ingratos reddat; verum frendat licet,& ira,invidia,odio,rumpatur Analectes: Nos, ut participes divinæ misericordiæ facti sumus, ita promissorum ejus immemores non erimus. *Primùm*, inquit, *Quærite regnum Dei, & omnia hæc adjicientur vobis.* Quæsiverunt patres nostri regnum tuum, O Christe,& tu in pacem posuisti fines nostros : Ex quo enim primò nobis illuxit Evangelium,gladium vagina vacuum in Anglia non vidimus : nec in Hibernia vidissemus,nisi Papa Romanus,tumultus alios ex aliis serendo, postremo fatalem illam & sanguine rubentem Comitis *Tyronæi*

manum, ad bellum omnium, quæ in hac terrâ unquam geſta ſunt, cruentiſſimam armâſſet: In quo tot noſtri imperii, tot illius latrocinii fuſis & cæſis exercitibus, quid aliud reliqui nobis factum erat, præter ſolitudinem & vaſtitatem? Ad quam nos iterum reducere nituntur Romani altaris ſacerdotes. Sed confortavit ſeras portarum noſtrarum *Iehovah Dominus*: ipſe eſt adjutor & protector noſter, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros; ídque non ob merita noſtra, ſed propter miſericordiam ſuam, propter Evangelium ſuum, & nomen ſanctum ſuum, quod invocatum eſt in nobis. Huic igitur Domino ego non ſerviam? hujus Evangelium egò non amplectar? huic Religioni ego, vel ſine bello pacem, vel in bellis victoriam, vel aliam vitæ fœlicitatem omnem (cui utinam tu ſemper invidere poſsis, Analecta) non adſcribam? Imò verò, inquis, ex iſtorum affluentiâ bonorum Chriſtianam metiri fœlicitatem deploranda cæcitas eſt & inſcitia. Credo; & addo, non eam mihi cæcitatem videri, ſed inſaniam: ſed aliud eſt, debitas Deo laudes & grates perſolvere; aliud, mundanam fœlicitatem religionis divinæ menſuram facere. Nos pace, opibus, potentiâ, victoriis, aut ſi quid in rebus humanis ampliùs adhuc aut optabilius cogitari poteſt, eo Religionem noſtram non metimur: ſed tamen in Deo, qui, unà cum Evangelio ſuo, pacem domi, victoriam foris, rerum ubique affluentiam tam largâ manu, tam propitio numine conceſsit, meritò gloriamur. Nam quòd tu fœlicitatis noſtræ, quæcunque ea demum eſt, cauſam & originem ad religionem Romanam refers, da veniam, ſi quod

res

res est, apertè dicam, & totam illam orationem tuam, risu magis, quàm responsione dignam esse censeam.

Transit verò, & hinc vanissimus omnium Analectes: quosque antè Ethnicis comparaverat, nunc nos Arianis comparat. Idque nullâ causâ, nullo ingenio, nec ad alium, ut opinor, finem, quàm ut quantum sensu & rerum intellectu destituitur, tantum verbis, maledictis & convitiis abundare reperiatur; quibus omnibus sic peractis, ultimo nunc in loco, Sapientũ octavus, ad illustrandũ officiũ tam Principis quam subditorum in hac diversitate & dissonantia religionis venit.

De formâ Regim.

Errant, inquit, *in formâ Regiminis, isti in Religione errones, qui sævitiam Regi & inclementiam suggerunt: errat si quis existimet tutum ibi esse Regem ubi nihil à Rege tutum: tantum necesse est ut timeat, quantum timeri voluerit: unum est inexpugnabile munimentum, amor Civium; salubrior itaque in Regendo sobrietas fuerit, quàm cum magnâ austeritate velle dominari mentibus ad libertatem natis: quòd si cum imperio & rigore omnia perrumpenda putaverint, non facile irritandos esse Crabrones; muscas habere splenem, & suam formicis inesse bilem meminisse debent.*

Fateor Analecta, si quis clementissimo Regi sævitiam & inclementiam suadere vellet, non solùm errare eum, sed etiam impudentèr agere: sed quæ hæc est sævitia, quam tu nunc quereris? eadémve, quam priùs? an alia? si alia, cur non ostendis? si eadem; nihil crudelitèr, nihil sæuè, nihil inclementèr, nihil nisi piè, justè, necessariò, salvo quod ai-

unt, moderamine inculpatæ tutelæ, in vos aut factum aut ſancitum fuiſſe demonſtravi. Imo verò, inquis, *Iacobus Vſſerius*, ſcriptor modernus, ita Regem alloquitur; unum adhuc ſupereſt quod votis omnibus à Majeſtate tuâ expetunt omnes boni, ut populo noſtro pereunti ſuccurrere, & peſte pontificiâ laboranti facere velit medicinam: Nolunt quidam & repugnant, & exitium ſuum pronâ cupiditate deſiderant. Sed ſubvenito miſeris, liberato pereuntes: Ad hoc tibi Deus ſummus commiſit Imperium, ut vulneris iſtius plaga per te curetur: Facinoris eorum periculum ſcimus, erroris notæ ſunt pœnæ: ſed melius eſt, ut liberes invitos, quam ut volentibus concedas exitium: Ecce, inquis, novitiorum ingenium, quam bellè conſpirant cum antiquis hæreticis? quibus artibus & technis moliuntur impellere ſuos Principes in perniciem orthodoxorum? Itane verò? qui Regem rogat, ut miſeris ſubvenire, pereuntibus ſuccurrere, peſte laborantibus facere velit medicinam, ut plagam curet, ut liberet invitos, ut volentibus non concedat exitium, is tibi Principem ad perniciem vobis inferendam impellere videtur? is Arianorum? is aliorum hæreticorum verba, mores, ingeniũ imitatur?

Nunc epiſcopus Midenſis meritiſsimus.

Sed ad rem venio: Invitos vos ad Regis obſequia, ſi ſponte non vultis, pertrahi debere negas: quippe voluntariam oblationem vult Deus, non coactitiam: ſpontaneam & liberalem ſervitutem, non aſcititiam: *Monendo*, inquis ex Auguſtino, *non minando, crevit Religio Chriſtiana*; & alibi ex eodem, *Credere nemo poteſt niſi volens*: Cur igitur, inquis, invitos & repugnantes putat iſte Theologus

logus orthodoxos nostros esse captandos? Quæ dum audio, non ego mihi *Davidem Ruthum*, sed Petilianum loquentē audire videor: Cui ego quid respondeam, nisi quod Petiliano respondit Augustinus; *Ad fidem quidem*, inquit, *nullus cogendus est invitus, sed per severitatem; imò per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari.*

Is Ruthus Analectorum author esse dicitur

Aug. contra literas Petiliani, l. 2. cap. 83.

Sed esto: non vi, sed verbo Dei; non minando, sed monendo, Christianam Religionem crevisse, dixit aliquando Augustinus: at dixit junior: dixit in rebus nondū exercitatior: dixit eo tempore, quo hæreticos, si ratione, si ecclesiæ consensu, si Scripturarum autoritate vinci possent, ultrò cessuros existimabat. Verùm ætate jam provectior, & usu doctior factus, planè aliam rem esse sensit; nec errore, sed animi obstinatione, hæreticos peccare intellexit. Itaque à priore suâ sententiâ facilè se dimoveri passus est, & per ordinatas à Deo potestates hæreticorum perversitatem corrigi, audaciam reprimi, socordiam excitari, contumaciam retundi, posse fatebatur. Qua de re extat ejus epistola ad Vincentium, Hęreticum Rogatianū quę *de vi corrigendis hæreticis* inscribitur. Illud igitur nunc à te quæro, Analecta, an tu eam Augustini opinionem dicendam putas, quam mutavit? an sententiam, à qua recessit? an judicium, quod refregit, quod rescidit, quod ipse suo ore in irritum revocavit? Sed & illud te, nisi molestum fortè sit, interrogatum volo, utrum quod Augustinus priorem suam sententiam hac in re mutârit, sciisse te fateris, an ignorâsse? nam si ignorabas, doctum, mihi crede, &

Aug. epist. 48.

Patribus versatum habemus Analecten: si non ignorabas, verecundum & pium; qui in re vel tam seriâ ludere, vel tam sanctâ fallere, vel tam apertâ mendacem agere non dubitásti.

Fides, inquã, cogi non debet, ne potest quidem: est enim donum Dei: nec illud sibi vendicat prudentissimus Rex, ut fidem cogat; sed ut in cœna illa, ex mandato Domini, cogendi erant homines, non ut ederent, sed ut intrarent, ita in Ecclesiâ cogi debent, non ut credant, sed ut audiant; ex quo fides, si ita misericors Deus voluerit, in cordibus eorum generari possit: quam tamen ipsam coactionem, omnino mansuetam & moderatam, &, ut in causâ Christi, christianam esse decet. Quid autem mansuetiùs dici? quid moderatiùs cogitari potest, quàm ut unius solidi Hibernici (si tamen exigitur) coërtione, tanta perversitas, & animi obstinatio corrigatur? Etenim in Donatistas olim de decem auri libris lex ab orthodoxis Imperatoribus lata fuit; quod ipsum tanquam mite & mansuetũ, quum ultra damna non sit processum, idem qui factum testatur, defendit Augustinus. Quantò mitiùs nos? ne dicam remissiùs? qui in pari causâ tantò minorem pœnam irrogamus. Neque enim id quod manifestum est, leges nostræ ex causâ vestræ religionis latæ ad sanguinem, ad bonorum direptionem, aut libertatem tollendam pertingunt: sed vel pecuniâ tantillâ mulctamini, vel Magistratibus & certis quibusdã Reipublicæ muneribus prohibemini: Quanquam quod de Magistratibus dixi, non ad religionem vestram, sed ad Regis & Reipublicæ nostræ securitatem & salutem pertinet. Dicite enim Regi vestro,

Aug. l. 2 contra lit. Petil. D. cap. 83. & alibi sæpe.

vestro, quòd jus & fas est, juramentum, ecce vobis non minus quàm aliis ad Magistratus, ad officia, ad dignitates patet via: quod quia non vultis, satis ostenditis præcipua illa religionis vestræ capita, capitalia esse adversus leges nostras & Principis salutem crimina. Absit verò ut in tanto periculo positi dormiamus: absit, ut quilibet quod sibi bonum videtur, in Hibernià faciat, ac si Rex in Israel non esset.

Sed dic quæso Analecta, tu qui invitos ad obsequium Regis & cultum divinum pertrahendos esse negas; tu Papæ, ut Romæ liberum cuique, quam velit religionem sectandi arbitrium faciat, author esse velis? Malum tibi si dixeris: nec enim institutis vestris convenit: nisi forte illud vobis sumitis, ut quoniam vos Catholici estis, ideo in nos homines malos & hæreticos, tanquam in pecudes, non ad famem modò pellendam, sed etiam ad libidinem satiandam sævire liceat: Quà de re quid attinet dicere, nisi quòd gratiâ Dei, sumus quod sumus; & nec ego te, nec tu me, sed utrúmq; Christus in die illo judicabit; interim verò nos à vobis vel Lutheranos vel Calvinianos dici non gravatè patimur: quoniam & beatum Augustinum, & alios ejusdem cum illo orthodoxę fidei propugnatores, ex Macarii, viri sancti & innocentis nomine, pari contumelia, Macarianos à Donatistis olim appellatos fuisse legimus. Neque verò aut Lutherus pro nobis mortuus est, aut Calvinus crucifixus: Nos Christiani sumus, & Christum Iesum Dominum & Magistrum nostrum, si minus in eâ quam exigit vitę puritate saltem in verbi, quam præcipit, veritate colimus: Ad quam vos tanquam oves ad ovile, non ferro,

August. contr. Donatist. Epist. 165. Tom. 2.

ferro, non flammâ, non exilii metu, non servitute, non bonorum & fortunarum direptionibus, sed fraternâ dilectione, & mulctis omnimo modicis, tanquam baculo pastorali, cogimus; ut si vos corrigere non valeamus, animas tamen nostras in die illo liberemus: nec opus Domini segnitèr planè, & negligentèr feciſſe judicemur. Quam tamen ipsam lenitatem nostram vos, ut invidiam nobis faciatis, persequutionem dicere soletis; & debita vestrorum hominum supplicia, falso & ambitioso nomine, martyria appellatis: túque, Analecta, mones, ut ab omni coactione deinceps penitùs abstineamus; & tanquam si à magistratibus nostris vel furiosis vel ebriis ad jus dicendum procedi soleat, ita sobrietatem illis ut salubriorem laudas: Illúdque sive sereniſſimo Regi, sive nobis in mentem revocas, non facilè irritandos esse Crabrones; habere & muscas splenem, & formicis suam bilem ineſſe memoras.

De Crabronibus.

Nos verò Crabrones vestros, nec irritamus, nec metuimus: putredo enim sunt, & fœtor, nec bimatum excedere perhibentur: strepitu certè terrent, magis quàm telo nocent; tantúmque abest, at muscarum vestrarum splenem, aut formicarum bilem, metuamus, ut nec ursarum sævitum, nec leonum vestrorum, si qui sint, rugitum formidemus. Tu autem, Analecta, quo cõsilio, qua spe, qua prudentiâ, ad ista nobis terriculamenta facienda prodis? Non, inquis, facio, *nec hoc ea mente à me dictum intelligi volo, quasi ad seditiones, tumultus, aut turbas, facem præferam; quippe quòd consultius putem, & rebus ipsis multò accommodatius, foro & tempori servire.*

Quid?

Quid? parúmne ostendis, te foro et tempori, non Regi & legibus servire velle? nec aliud quàm rei gerendæ tempus & occasionem expectandam esse dicere? quibus tu te ista narrare putas? an surdis auribus? an obesis naribus? an denique hebetioribus & stultis? quasi verò nesciremus, quid vestri respondere soleant, quoties illis objicitur, veteres illos primitivæ atque adeo Romanæ Ecclesiæ Episcopos nihil in Imperatores & Reges ex causâ religionis attentare solitos? non enim aut jus aut voluntatem, sed vires defuisse aiunt: Dicite enim, quando unquam quievistis, quibus unquam pepercistis, si vos viribus superiores aut pares esse credidistis?

Deinde hoc ipsum foro & tempori servire, quid aliud est, quàm quod uno verbo dicitur, dissimulare? neque vero illa tua valet excusatio, *timorem Domini vellem incutere violentis istis*: Quis enim unquam usque adeo dicendi fuit imperitus, ut de Deo, ejusque vindicta, & ira adversus peccatores loquens, Crabrones non facilè irritandos esse diceret? aut muscas splenem, & formicas bilem habere præmoneret? Ista enim, si quod res est, ad nos referantur, & si seditiosè, & turbulentèr, tamen ut alia nonnulla, satis argutè à te dicuntur: quæ ipsa si de Deo dicta putari velis, non solùm irreverentèr & impiè, sed etiam absurdè & stolidè loquutus existimabere.

Bellum igitur Analecta, & seditiones, & turbas apertè minitaris: nec illud solùm, sed etiam victoriam tuis polliceris: quorsum enim verba illa tua, & quæ à te ex Psalmo recitantur: *Gladij ancipites*

in manibus eorum ad faciendum vindictam in nationibus & increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in ijs judicium conscriptum. Hanc tantam victoriam, hunc triumphum, hoc judicium, in quos conscriptum esse prædicas? aut his tu verbis quos te denotare dices? An non vos sanctos scilicet & pauperes & rectos corde, à Principibus nostris in judicio opprimi & trucidari asseris? an non in vestris manibus gladios aliquando fore vaticinaris, ad Reges nostros in compedibus, & nobiles in manicis ferreis alligandos? aut enim ista te sensisse fateare necesse est, aut sine sensu verba & voces inanitèr protulisse.

Quid & illa Senecæ viri prudentissimi verba, à te per summam injuriam ad summum scelus usurpata? *Errat*, inquis, *si quis Regem ibi tutum esse putat, ubi nihil à rege tutiũ.* Impie: nam quid de te Rex munificẽtissimus & optimus? quid Populus Hibernus pacis & otii cupientissimus, aut meruit, aut mereri potuit, ut tu sic alterum alteri suspectum, invisum, exosum, reddere laborares? scilicet ut vobis Sacerdotibus Romanis, opes, officia, dignitates in Ecclesiâ contingant, Gens hæc ad arma, ad cædes, ad res novas, nũquam ab illis fœlicitèr tentatas, rursus impelli debet. Atque huic quidem loco tam tragicè à te exaggerato, ubi de Crabronibus, de bile, de splene, de Regibus, & Nobilibus captivandis, de oppressione pauperum, & rectorum corde trucidatione, tam invidiosè, tam falsò, tam seditiosé loqueris, si debitè dignéque respondeam, vereor ne me quoque, ut modo *Iacobum Vsserium*, singulari innocentiâ,

centiâ, pietate, doctrinâ, virum, clementissimi Regis suspicionem, & iracundiam in vos concitare voluisse dicas: Itaq; mihi ipse temperabo; nec committam ut durioris vestræ conditionis author esse videar.

Neque tamen is sum, qui minas istas tuas inanes prorsus & fumeas esse non intelligam: Pauci enim Hibernorum sunt, quibus bello civili opus est: finge tamen id plures cupere: utinam soli cuperent: nec ex nostris essent, qui simili furore, bellum sibi dari votis omnibus exoptarent. Nos quidem, quibus quietiora placent consilia, bellum nec cupimus nec formidamus: Parati tamen sumus, pro Deo & Evangelio ejus, pro Rege legibusque nostris, vilia hæc capita quibuslibet periculis & telis objicere, & incendium illud, quod minaris, si quando oriretur, vel nostro sanguine, vel hostium ruina, per Dei misericordiam & gratiam, extinguere. Vos verò Hiberni, quos sublatis nuper hostilitatis legibus in unam nobiscum civitatem & Reipublicæ communionem, vobis id postulantibus, libentissimè recepimus, sicque receptos, ut cives & fratres colimus, nósque à vobis viciſsim coli & amari cupimus, alloquendi quæso mihi jus ut sit, faciatis.

Victoriam de cordibus vestris, quam sibi in causâ religionis reservavit suo tempore conficiet Deus; & citò conficiat precor: ut relictis erroris viis, ad veram, vivam, sanam, & planam Evangelii viam & doctrinam revertamini. Interim verò lenem illam & paternam Regis vestri castigationem, ut filios decet, tolerate: quæ si durior vobis videatur (nulla enim disciplina ad tẽ-

pus videtur esse gaudii, sed mœroris) Precibus tamen vestris, non importunis Sacerdotum vestrorum minis agite: Stulta enim & improba est omnis contra Reges comminatio: minis enim illi, non terreri, sed irritari solent; multaque justis supplicantium precibus sæpe concedunt, quæ nullà unquam vi aut armis, nedum inani vociferatione & minis sibi extorqueri patientur.

Sit Deo laus.

FINIS.

REGIMINIS ANGLI-cani in Hibernia defensio adversus Analecten.

Liber Secundus.

Vlta sunt eaq; non levia, in serenissimum Regem, in Magistratus, in leges nostras, in ipsum deniq; Anglicanum in Hibernia Imperium, in prima Analectorum Sectione, conjecta crimina, quibus per Dei gratiam, ita in superiore volumine respondi, ut quod verbo promiseram, re mihi videar, præstitisse, & Analecten istum, sine omni sensu doloris, querulum; criminationes vero ejus, quotquot sunt omnes, vel sine causa falsas, vel cum magna nostrorum laude veras esse liquidò demonstrasse.

Neq; vero alia mihi nunc insistendum est via, sed iisdem semper vestigiis inhærendum; cum enim ille, non tanquam si apud clementissimum WALLIARVM PRINCIPEM, apud Imperatores & Reges exteros, Catholicorum suorum causam defenderet, sed apud imperitam multitudinem

fabulã in scæna ageret, ita omni in re tragœdias excitat, et omnia criminibus, ut ante falsis, et querelis, ad terrorem et formidinem confictis compleat, quid mihi rursus faciundum restat, quam ut indignè dictis debitè respondeam, et dempto inaniũ verborum fuco, nudam et simplicem rerum ipsarum veritatem ostendam ? Etsi enim quæ in hac secunda Analectorum sectione continentur tela, magis plumbea sint, quam ut ex eadem pharetra deprompta fuisse quibusdam videantur, mihi tamen rem ipsam attentiùs consideranti, eodem planè veneno illita, eodem animo, et nocendi studio conjecta fuisse liquet: atque haud scio an hæc illis graviùs multò metuenda sint: Dum Analectes hic noster, non solũ, ut antea singulorũ hominum vel acta vel iudicia, tanquam legibus cõtraria insectari et labefactare nititur: sed ipsas etiã leges Anglicanas convellere, et judicandi munus nostris magistratibus ademptum, ad sacerdotes Romanos, et præclaras illas Iuris Pontificij Regulas revocare, ausu planè non minus nefario quam stolido contendat.

Sed ipsum nunc Analecten loquentem audietis:

pag. 97. *Sectio*, inquit, *secunda: In qua tractatur mira et vera imago sive Idea iactationis et trepidationis, Catholicorum in Hibernia*; et primo omnium: *Expediuntur, inquit, considerationes disrupti et inopinatè intercisi Parlamenti.* Itaq; sic incipit: *Expedita iam sunt et concluſa Regni Comitia: sed citiùs concluſa, quam sperabatur, nec tamen citiùs quam expediebat illa concludi: multis utiq; de causis id expediebat: sed una præferebatur in publico edicto, quo illa dissoluta esse et de Regis voluntate et mandato dissolvi promulgabatur: nimirum ut publicis sumptibus parcere-*

parceretur: Iusta certè causa præsertim in Regno non optimè nummato.

Expedita igitur sunt regni Comitia: utinam et finita Analectæ mendacia: sed homini convitiandi cupido, et ad maledicendum comparato, mendaciorum nullus, aut pudor est, aut modus: Si enim, ut ais, Analecta, expedita erant Comitia, si Regis voluntate concluſa, si Principis mandato soluta, si multis de causis id ita fieri expediebat, si quæ publico edicto præserebatur, justa fuisse tuo ipsius ore pronuntiatur, quomodo disrupta ea, et inopinatò interciſa fuisse narras? Etenim rem, litem, negotium expedire, quid aliud est, quam ad optatum finem et exitum perducere? orationem, Comitia, et hoc ipsum, quoniam ita loqui consuevimus, Parlamentum concludere, quid aliud latinè intelligentibus significat, quam conficere, et debito fine terminare? Itaq; quod factiosis quorundam hominum sermonibus, et errore vulgi jactatur, quodq; in hunc Analectorum tuorum acervum et cumulum referri meruit, Comitia illa ita confusa, disrupta, et vestrorum opera, arte, ingenio, nec opinatò discussa fuisse, et interciſa, ex tuis ipsius verbis, Analecta, vel me tacente, falsissimum esse comprobatur. Causa vero, quæ prætendebatur, erat, ut ais, ut publicis sumptibus parceretur: fuerit sanè: Nam hanc tu justam fuisse agnoscis: sed addis: *Præsertim in Regno non optimè nummato:* Possem dicere, etiam in regno admodum pecunioso, et bonis omnibus affluente, boni tamen Principis esse, Subditorum suorum sumptibus modum facere. Sed te ad Anglicani Imperi invidiam, odium, vituperium, omnia revocantem sequor. Rei igitur nummariæ, quod tanta sit in hoc Regno inopia, tres cau-

Respon. ad calumniam de Parlamento disrupto.

Respon. ad tres calumnias de Hibernia inopia.

Pag. 98. ſas ponis: *quod multis gravaminibus ſit attenuatũ, quod magnis vectigalibus oneratum, quod bellorum incommodis non ita pridem ſit exhauſtum:* Ad gravamina quod attinet, ſuperiùs quod ſatis ſuperq; ſit, reſpondiſſe videor. Nam de vectigalibus, quod addis, ſi maxima eſſent, ut ſunt minora, quam quæ in alio quocunq; Europæ regno exiguntur, quid hoc, quæſo, ad exhauriendos regni nummos pertineret cum ea omnia ad regni ipſius uſum ſtatim refundi, et ſingulorũ commodis detracta, ad omnium vtilitatem et ſalutem ſtatim rependi ſolere conſtet. At multa erant belli incommoda; quaſi vero vllum unquam bellum ſuis incommodis caruiſſet: ſed illud tamen bellum hoc habuit commodi, quod illo tempore plus argenti et auri ex Anglia in hoc Regnum invectum fuit, quam Hibernia ullo unquam tempore ante viderat. Sed levia ſunt hæc, et mihi leviter tranſeunda; ne cauſæ vnguiculos præſecare videar, cum vulneri mederi debeam. Venio igitur ad duo graviſſima hujus Regni incõmoda, quibus omnium opes maximè attenuatas, et ſubditorum animos vehementiſſimè commotos eſſe queritur: *Graviter*, inquit, *tulerunt Inquilini, ſubtracta legitima pecunia, plurimorum facultatibus exufflatis, per vilem monetam, et æruginoſa raduſcula, quæ adaucto, et mox imminuto valore, exeuntibus diverſis edictis, in locum puri argenti et auri ſubintraverunt, non ſine maximo ſubditorum tum dolore, tum diſpendio, ſub extremum Elizabethæ Regnum.* Hoc primum: ubi quaſi fœliciſſima Regina *Elizabetha* nuper admodum mortua fuiſſet, ac non ante annos ſedecim ad Cœlos evolaſſet, Ita præclariſſimum illud, et non ſolum, quia tum neceſſarium erat, ferendum, ſed etiam quia multo Conſilio, et magna

Reſpon. ad calumniam de monetis in Hiberniamutatis. D. Pag. 98.

magna animi ratione fiebat, laudibus efferendum facinus, in hanc semestrem suam gravaminum relationem compingit, & verbis ad summæ Principis invidiam & odium exquisitis onerat.

Nec tamen, vt opinor, vsq; adeo delirat Analectes, vt rei pecuniariæ curam ad solum Principem spectare, et in regalibus cõtineri neget. Quanquam hoc jure multi sæpè Principes ad subditorum suorum iniuriam, ad suum vero lucrum et commodum abusi fuisse memorantur. Sed in hac re Pontifex ille vester, Analecta, *Paulus* tertius, pernitiosum cæteris omnibus præbuit exemplum, dum aureum Romanum, omnium deterrimum & leviſſimum sub *Fernesiorum* stemmate signaret. Cujus exemplum sequutus *Fernesius Cardinalis*, cum Avenione ejusdem Pontificis legatus ageret, deterius in eo se gessit, quam *Avus* ipse. Aureos enim cudit quam ille leviores, vt author est *Bodinus*. Iam vero quanta quotannis fere in Germania et Gallia fieri olim consuevit monetarum immutatio, pudet dicere. *Lib. 6. de Repub. cap. 3.*

In eo tamen genere *Philippus*, cognomento *Pulcher*, Regum Gallicorum primus, peccasse dicitur; nec ab ejus vituperio longè abfuit *Carolus* quintus Hispaniarum Rex, tanto ille magis vituperandus, quod in summa copia pecunias tamen publicas, id est, rerum emendarum, vendendarumq; omnium mensuram vnicam, et pondus adulterare et corrumpere non dubitabat. Regina vero *Elizabetha* cum in cæteris omnibus magnifica, & splendida, tum in re nummaria procuranda, cæteros omnes, vel sui, vel superiorum temporum Principes & Reges, non solum magnificentia, et splendore, verumetiam æquitate,

tate, justitia, fide, superavit. Statim enim Regnum ingressa, non solũ in Anglia, sed etiam in Hibernia, ærosa numismata omnia, atq; adeo mixtas monetas, sustulit, nec vllum in suis regnis & Dominijs nummum commoveri voluit, nisi qui ex auro & argento puriſſimo conficeretur. Postea tamen & sub regni fere exitũ, belli ratione suadente, potiùs quam ærarij cogente necessitate, aurum & argentum ampliùs in Hiberniam mittendũ non esse censuit, sed viliſmas monetas tam stipendijs militum quam cõmerciorum vsibus deputavit.

Magno id quidem (vt omnia) consilio: neq; enim aliud erat quod Tironæi partes tantopere affligeret, aut graviſſimo illi bello finem æquè acceleraret: Cum enim ad quadringenta ferè librarum Anglicarum, ex puriſſimo auro & argento confecta millia, pro militũ stipendiis, quotannis in Hiberniã transmitterentur, magna harũ pecuniarum pars, partim direptionibus, partim, vt fit, cõmerciis, in Tyronæi manus & potestatem venicbat: Illis igitur pecunijs ex Hiſpania, ex Gallia, ex Belgio & inferiori Germania, quæcunq; bello vsui erant, nulla difficultate cõparabat. Vbi vero sublatis melioribus pecuniis, vilis illa & æruginosa moneta, & sola, & magno pretio in Hibernia esse cœperat, summa statim egestas, & rerum omniũ penuria in illis Castris est consequuta: id quod versutiſſimus ille Dux, & in suo genere, alter Sertorius, statim cum ingenti animi dolore frendens fatebatur: nec Reginæ subditis, quod imperiti existimabant, iniuriam, sed sibi suisq; damnũ & perniciem, & deditionis faciendæ necessitatem vltimam inferri, querebatur. Itaq; numismatum mutatio illa, illa materiæ vilitas, & pretij cumulatio

latio, quæ aliis regnis summa incommoda afferre solet, huic nostro non solum utilitati, verum etiam saluti fuit. Quod enim alii sæpe Duces facere cõsueverunt, dum frumenta sua & alia vitæ subsidia, quacunq; hostis iter facturus sit, corrumpunt, ut isto saltem modo, exercitum hostilem a commeatu prohibere possint: id solertissima Regina, domi sedens, pecuniis corrumpendis effecit. Quo quidem tempore, Dux Aquilensis Hispanicarum Copiarum Præfectus, cum Kinsallam teneret; & a nostris arctissima obsidione, idq; alienissimo anni tempore premeretur, cum virtutem & tolerantiam, tum multò magis nostrorum militum fidem, qui talibus stipendiis in tam difficili bello mereri non recusarent, nunc mirari, nunc laudare solitus, et Reginam illam, supra Regem suum, supra omnes Principes fœlicem, & illo suorũ manente studio, inexpugnabilem fore, prædicasse dicitur. Hoc tamen, tam non solũ providum et prudens, sed etiam faustum & fœlix sapientissimæ Principis consilium, tu, Analecta, Hiberniæ Inquilinos gravitèr tulisse ais: Quos autem? nisi tui similes, & Comitis Tironæi in latrociniis Participes? Cæteri enim omnes, id non solũ æquis animis ferebant, sed etiam quia necessarium videbatur, studiis insuper suis comprobabant. Sed esto: belli necessitatibus coacta, exhausto Regni ærario, suo fisco exinanito, nummos viliores populo suo in Hiberniã obtrusit Regina *Elizabetha*: Fecit igitur, quod populus Romanus Bello Punico secundo, eadem ærarii cogente necessitate, fecit: Fecit, quod alii Principes, & Populi, & ante hac sæpe fecerunt, & posthac simili necesitate ingruente, semper faciant, necesse erit. *Polybius.*

Itaq;

Itaq; quod ad invidiam & odium conflandum a te comparatum fuit, id totum, patefacta re, ad singularem laudem & gloriam optimæ & integerimæ Principis redundare vides. At enim, alia adhuc superest malorum, & egestatis in Hibernia causa; nempe, *cum aliis, quæ præcesserant, tributis, subsidium in Comitijs per universum Regnum impositum, ut mobilium quasi septima, immobilium vera, agrorum & fundorum, annui Proventus quasi quinta solveretur ad gratificandum Regi, eiusq; necessitatibus subveniendum.* Quænam sint illa tributa alia quæ præcessisse asseris, equidem nec quærendo rescire, nec assequi conjectura possum: tributi certè nomine, nihil his temporibus in Hibernia pensitari scio; sed nec aliud quicquam, tributo simile, quod Principi lucro, subditis oneri, esse possit, in ærarium referri, affirmare possum. Subsidium vero, tam justis rationibus, tam conjunctis animis, Regi, ad Reip: huius onera toleranda concessum, oblatum, datum, Cur tu, Analecta, ad gratificandum Regi, eiusq; necessitatibus subveniendum, falso simul & iniurioso loquendi genere, impositum & indictum fuisse calomniaris? Summa enim in ærarium redacta, id quod ex censualibus satis liquet, triginta quinque librarum millia non excedit. Quam si ad immensas illas pecuniarū summas, quæ tam a *Regina Elizabetha*, quam a sereniſſimo *Iacobo Rege*, ad hoc regnum, vel tuendum, vel ornandū, jam olim expositæ sunt, conferre velis, ut grati subditorum animi, & officii non parum, ita compensationis, & retributi beneficii non multum continet.

Respon. ad calumniam de subsidio Regi in Hibernia concesso.

Pag. 99.

Verum, facilè erat, inquit, *Comitia nunc, vtcunq; dirimi; nam quæ duæ præcipuæ huius Parlamenti convocandi causæ erant, Statuta de titulo Regis, in temporali-*

bus

bus recognoscendo, & de confiscatione Dynastiarum, Tironiæ & Tirconalliæ, aliorumq; in Vlidi a Latisundiorum, ac nouæ Britannorum in ijsdem territoijs plantatione, iam scita & sancita erant Comitiorum authoritate, consensu & approbatione in quibusdam, in alijs silentio & trepidatione prævalente. Vtinam vero, Analecta, quam te Deus doctum & disertum esse voluit, tam bonum, & veritatis amantem esse voluisset: Nam quem tu hic exteris gentibus? quem futuris temporibus? quem populo huic nostro sucum facies? *Statutum* inquis, *de titulo Regis in temporalibus recognoscendo iam scitum erat*, Quasi vero id in Parlamento actum fuisset, vt Regis in temporalibus jus agnosceretur, in spiritualibus verò Regi ademptum, Romano Pontifici addiceretur? Quid enim aliud sibi vult, vox illa, *in temporalibus*, nisi quod in rebus ad *Ecclesiã pertinentibus* in Hibernia *Rex nihil possit?* Sed videte hominis impudentiam: Tam hoc de titulo Regis agnoscendo, quam illud alterum de damatione Comitum Tironiæ & Tirconalliæ & aliorum eadem cum illis nefariæ Rebellionis pestè laborantium, statutum, consensu & approbatione in quibusdam, in aliis silentio & trepidiatione prevalente sancitũ fuisse ait: quid? an non olim dixi, nihil in hoc opere magis eniti Analecten, quam ut Principem & Populum, inter se committat, alterumq; alteri, si posset, suspectũ, invisum, exosum reddat? Quam enim fiduciam? quam spem? quam deniq; opinionem de populo isto? de gente Hibernorum? de hominibus Pontificiis, in eadem degentibus, habere possit Rex, si statutum, & quo ipse Rex, esse declaratur: & quo nefarii illi Latrones,

Respon. ad calumniam de statuto Recognitionis per metum extorto ab Hibernis; idq; in temporalibus tantum.

Respon. ad calumniam de statuto pro damnatione Tironai, per metum extorto.

perduellionis rei condemnantur, non communi omnium consensu et approbatione, sed silentio, et metu prævalente, id est, adversa voluntate, tacita ira, occulto suffragantium odio, lata et sancita fuisse, ic auctore, crederet?

Errant profecto qui Hiberniam Serpentes nutrire negant. Ecce enim Analecten, sub cujus labiis venenum aspidum; ecce genimen viperarum, cujus os maledictione et amaritudine plenum est. Pedes autem eius ad fundendum sanguinem veloces. Quin tu igitur dic, Analecta, quo indicio? quo argumento? quo teste? statuta illa duo, non communi omnium consensu, sed silentio, et trepidatione in quibusdam prævalente, lata fuisse asseris? nam ad silentium quod attinet, omni asseveratione confirmare possum, ea non suffragiis modo, sed etiam lætis omnium acclamationibus, et mutuis hinc inde congratulationibus fuisse promulgata. Et de Rege quidem recognoscendo, nulla unquam fuit dubitatio; nullus scrupulus, nulla hæsitatio; de altero hactenus tantum dubitatum fuit; cum cætera huius generis statuta, (salvo iure cuiuscunq;) promulgari soleant, hoc unum nullius iure reservato, sanciendū proponebatur.

Id quibusdam durius, et a iuris æquitate paulo alienius, esse videbatur: Itaq; res ad certos quosdam Delegatos, in quibus erat *Iehannes Everardus*, miles, diligentiùs consideranda referebatur. Eodem tempore rumores quidam, propè ut jam certi nuntii viderentur de propinquo Tironæi ex Hispania cum exercitu adventu spargebantur. Itaq; cum convenissent Delegati. (Audita, visa, nota loquor: mihi enim

enim ipſi, in eadem Delegatione locum ſortiri contigit) cum, inquam, conveniſſent Delegati: Ille ipſe *Iohannes Everardus*, vir patriæ amans, et a pacis ſtudiis non alienus, orationem inſtituit. Qui tum Rumores de Tironæi et aliorum Confœderatorum adventu ſpargerentur, admonuit: in tanta re, tamq; ancipite Reipub: tempore, eorum damnationem differendam non eſſe dixit, nec propter privatorum rationes, committendum, ut Reipublicæ ſumma negligi videretur: ſi qui privati eſſent, qui in eorum terris jus ſibi aſſerere, et vindicare poſſent, apud Proregem et ſanctius Conſiliũ agendum eſſe, ut eorum, cum res poſtularet, ratio haberetur: nevè cui fraudi eſſet hoc ſtatutum, abſq; Iuris cujuſcunq; reſervatione, promulgatum. Magno omnium aſſenſu audiebatur: itaq; fide publica in eam rem accepta, req; ad Comitium reducta, nullo contradicente, ac ne, quod ſciri quidem potuit, tacente, magno cum clamore et ſtudio hominum perlata lex eſt. Sequutæ deinde ſunt ſibi invicem congratulantiũ voces: veniret nunc, cum vellet Tironæus: nuſquam in Hibernia appulſurum, ubi non illis occurreret, a quibus ut Rebellem, proditorem, Reip: hoſtem, et Regni hujus peſtem damnatum ſe eſſe intelligeret. Recte quidem Tullius, non nego: *Nihil*, inquit, *incertius eſt vulgo, nihil obſcurius hominum voluntate, nihil fallacius ratione tota Comitiorum.* Sed tamen in illo, non vulgi coetu, ſed virorum prudentiſſimorum conſeſſu adeo certa, clara, et in hac cauſa, perſpicua erant omnia, ut nullius vel taciturnitas, vel trepidatio latere poſſet. Itaq; non illud a te nunc quæro, quo indicio, argumento, teſte iſta tam falſa et facinero-

Oratio pro L. Murena.

sa asseras? sed quo ore? nisi eodem, inquies, quo alia; id est, audace, impudente, ad quidlibet dicendum projecto; de rerum veritate, de infamia tua, de bonorum existimatione minimè sollicito: de animo enim non est quod quæram: cum satis omnibus appareat: istum, quicunq; ille sit, Analecten, eam in hominum mentes opinionem insinuare velle, nec Regis nostri titulum communibus omnium suffragiis comprobatum, nec Tironæi scelus consentientibus Parlamenti studiis fuisse condemnatum. Proinde, si quis, vel domi sit, vel foris, qui illius reliquias legere velit, qui auxilio sint, in Hibernia non defuturos: nihil enim in Comitiis contra eum iure actum: omnia vi, et metu, et adversis hominum studiis fuisse promulgata. De qua eius tam præclara in Regem, in Regnum hoc, et Remp: nostram voluntate, si cui adhuc dubium videatur, audiat et reliqua.

Pag. 101. *In tanta*, inquit, *votorum disparitate, et partium studio, hoc a nostris, summa contentione elaboratum est, ut quia multis geminatis queremoniis instabant, contra æquitatem et iuris formulam, contra institutum Comitiorum, et libertatem, multa fieri obtentu Regiæ Prærogativæ, ne posteros lateret, qua via, res tota gesta fuisset, solennis Protestatio Catholicæ partis in actis publicis conscriberetur, et in manuscripto Codice Parlamenti ad perpetuam rei memoriam extaret consignatum, veteres indigenas vim passos esse.* Magna, inquies, culpa: et seris nepotibus luendum scelus. Profectò enim, si vim passi sunt, nihil consensu agebatur: nihil enim magis contrarium consensui quam vis et metus: nec quicquam iure actum

Respon. ad calumniam de vi Catholicis in Parlamento illata.

actum videri potest, quod per vim gestum esse constet. Proinde ex Prætoris edicto. *Quid vi metusve causâ gestum est, in irritum revocatur.* Itaque non solum illa Tironæi et aliorum Conjuratorum condemnatio, sed etiam ipsa illa nostra, Regii Iuris, (quod horreo dicere) recognitio, inanis est et vacua, nec lege roboratur: At ego, in conspectu Dei vivi, sanctissimè confirmo, testorque et ipsum, et Angelos ejus, et bonos omnes, qui harum rerum notitiam habere potuerunt, illos, nec vim passos esse, nec ullam de vi protestationem fuisse interpositam. Et quoniam nulla ferè est in vniversis hiis Analectis capitalior oratio, nec quæ futurorum tumultuum, et intestinarum seditionum semen spargere magis videatur, ideo ego, qui rerum illarum pars fui, et earum pleraſque non cogitatione, sed sensu, non auditu, sed visu, non leviter inspectas, sed penitùs exploratas habui, eas ita uti gestæ erant, latiùs quidem, sed tamen, qua fieri potest, brevitate, summa fide, religione integra, et ex sincera animi mei sententia enarrabo.

Narratio de processu in Parlamento habito. An: 1613.

Cum sereniſſimus IACOBVS REX, fausto illo et fœlici suo in Angliam adventu Regno Hiberniæ, diuturni belli incommodis jam afflicto, ultimumque (ut ita dicam) spiritum exhalaturo, per Dei misericordiam, vitam et salutem reddidisset, Nihil ille antiquius, aut in votis majus habere cœpit, quam ut terram hanc, extincto bellorum incendio, ad rectam disciplinæ morumque normam, vitæque cultum honestiorem, et veram in Deum fidem revocaret: et aut eam splendori (si quem vnquam habuit) pristino restitueret, aut,

ſi non habuit, novum ei nitorem, novam pulchritudinem et formam daret. Hiis enim artibus, pacem, non ſolum lætam, et gratam, ſed etiam ſtabilem et diuturnam fore, animo providebat. Id vero nulla ratione effici poſſe ſatis intelligebat prudentiſſimus Princeps, niſi et leges, quæ prius latæ fuerant, moribus firmaſſet: et quæ hactenus ad integram Reip: ſalutem deeſſe videbantur, novas ferre non diſtuliſſet. Itaq; Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio Parlamentum in hoc Regno pro imperio indixit, breviculaſq;, ut mos eſt, emiſit, quibus et Magnates ad Conſilium dandum, et populum Hibernicum, id eſt, ex ſingulis diſtrictibus, duos milites, ex ſingulis Civitatibus, duos Cives, ex ſingulis oppidis, duos Municipes, ſiue Burgenſes, ab ipſis legitimè eligendos, et pro vniverſo populo reſponſuros, ad leges condendas convocavit. Et quoniam, veteri Iuris elogio : *Quod omnes tangit ab omnibus approbari debet*, ideo tam in Conactiæ et Vltoniæ Provinciis, nuper ad ditionem Regiam reverſis, quam in quibuſdam Momoniæ partibus, multis utrobiq; villis, in oppida corporata erectis, ſuffragiorum jus tribuit; ſimul vt illis Civium dignitas accederet, et ipſi Parlamento ex tanta frequentia authoritas adderetur. Neq; vero hoc prudentiſſimi Principis Conſilium Romanæ factionis Sacerdotes latuit, qui veriti, ne, ut ſub *Henrico* octavo et *Eliz:* Regibus, quædam adverſus Papalem Tyrannidem ſanciebantur leges, ita in hiis ipſis Comitiis alia nonnulla ſtatuta, ad eandem opprimendam ſeveriùs ederentur, diligentèr, quantum in ipſis erat, cavebant, ne qui milites, Cives, aut Burgenſes, ad ſuffragia

fragia ferenda, mitterentur, nisi qui Romanæ superstitioni addictissimi esse censerentur. Quod, ne quis vel a me temerè prolatum, vel ex cerebro meo improbè confictũ esse credat, dico id ex monumentis publicis in Cancellaria Regni Hiberniæ fidelitèr asservatis, & per examinationem multorum exindigenis & quidem Papalis doctrinæ studiosissimis constare: qui mandati Regii vi interrogati, ingenuè libereq; fassi sunt, ita inter se convenisse, ne quem in militem, Civem aut Burgensem eligerent, qui ecclesiam juxta leges et statuta Regni frequentaret, Idq; sibi a Iesuitis & Sacerdotibus in mandatis datum esse affirmabant. Huius vero consœderationis vis & impetus, ipso primo Comitiorum die, pessimo ad posteros, & majoribus inaudito exemplo, erupit. Cum enim Pridie Comitiorum, recitatis electorum nominibus, satis apparuisset aliquantò majorem Protestantium quam Papistarũ esse numerum, omnia quamprimum in Comitium veniissent, confundere & perturbare statuerunt. Quod quidem, cum nec antea ambiguum fuerat, tum in ipso statim ingressu liquidò apparebat. Statim enim cum consedissent: *Thomas Ridgwayus*, tunc quidem miles, & Baronetta, præcipuæ inter omnes authoritatis vir, & nec ita pridem, in illustrissimorum Baronum numerum cooptatus, surrexit, & pro more esse dixit, ut primo omnium de *Prolocutore*, sive Comitiorum Præside eligendo, consilium iniretur. Itaq; se, quod fœlix fausumq; sit, *Johannem Davisium militem, Procuratorem Regium*, virum in rebus ad Parlamentum spectantibus versatissimum, & literis ad id a Rege datis commendatum;

datum, *Proloquutorem*, sive Comitiorum Præsidem eligere & nominare pronuntiavit. Qui cum consedisset, surrexit *Iacobus Gogh.eus* miles, Et multos quidem se, in Comitiis illis conspicere aiebat, quorum alii ex villis in oppida corporata recentèr erectis, eò missi essent; Alii, antiquiorum quidem oppidorum & Civitatum iure, eò venissent, sed vitio creati fuerant: vtrisq; suffragiorum jus esse negabat: eosq; primum amovendos esse censuit, quam ad Comitiorum Præsidem eligendum procedi posset. Cumq; ex adverso premeretur, vt vnum quem vellet in *Proloquutorem* nominaret, se *Iohannem Everardum* militem, nominare dixit: in eandem sententiam loquutus est, *Christopherus de nova Gente*, miles: iisdem etiam vestigiis inhærebat *Wilelmus Talbottus*, Iurisconsultus: qui cum dicendi finem feciſſent, surrexit *Oliverus St Iohn* miles, vir inter prudentes, prudentissimus, inter disertissimos disertus semper habitus, tum quidem militum Parlamentarium vnus, nunc vero ad Proregis dignitatem meritissimò evectus: is ita disseruit, ut ostenderet, Parlamentorũ & vsu, & ratione ita esse comparatum: ut nihil prius ageretur, quam de *Proloquutore* convenisset: eo electo certos quosdam & præcipuos viros esse nominandos; ad quos, & hæ & aliæ si quæ orirentur, controversiæ decidendæ referri debeant: vt enim corpus sine lingua mutum; ita sine *Proloquutore* Parlamentũ elingue esse aiebat; & adiecit se *Iohannem Davisium* militem *Proloquutorem* nominare. Tum adversæ factionis homines, *Everardũ*, *Everardum* conclamare cœperunt, & alii *Davisium* ingeminabant. Itaq; cum vocum confusio omnia ita in-

Oliverus St Iohn.

certa

incerta redderet, ut, uter eorum, *Davisius* an *Everardus*, in tanto tumultu majorem suffragiorum partem tulisset, satis sciri non posset; Sequimini me, inquit, *Oliverus* S^t. *John*, quotquot *Davisiũ*, *Proloquutorem* esse vultis, &, cum dicto, Comitio excessit: sequuti sunt & alii. Ea nimirum est Parlamentorum nostrorum ratio, ut si quando in varias sententias eatur, ita ut suffragiorum numerus in incerto fiat, Pars altera in exterius conclave seorsum numeranda concedat: inde duos viros mittant, qui & intus remanentes numerent, & se viciſſim ab aliis duobus é domo mittendis, numerari petant: utrumque ab ea parte, quæ domo excesserat, factum: sed neutrum ab iis, qui intus mansérant, impetrari potuit: nec eo contenti, vno ore omnes *Everardum* conclamantes, ipsum in suggesto, quod *Proloquutori* futuro comparatum erat, per tumultum collocabant. Id cum Protestantes, qui extra erant, cernerent, & ipsi, recto ordine, in Comitium redierunt, ita ut in conspectu adversæ partis, Centum viginti septem suffragia censerentur, qui *Davisium Proloquutorem* nominabant: erant autem, si omnes, qui suffragia ferre possent, ad fuissent, in toto ducenti triginta duo. Sex morbo impediti aberant: Ita viginti & amplius suffragiis, *Everardum* victum esse palam omnibus apparebat: monebant ergo Protestantes *Everardum*, ut loco non suo, nec iure occupato cederet: sed frustra: iterum rogabant; tantundem egerant: ni cederet loco per vim & iniuriam occupato, eum inde detrahendum omnino esse aiebant: cum ne sic quidem proficerent, eum de suggesto, leniter: (nec

hoc, Deum omnipotentem testor, culpæ levandæ causa dico) levitèr inquam, quantum in renitente fieri potuit, detraxerunt, et *Iohannem Davisium* suffragiis vincentem, et jure electum, in eodem collocarunt. Inde Papistarum cum indignatione et fremitu facta secessio: qui vim fecerant, iniuriam passos se esse querebantur: magnisq; clamoribus complebant omnia, se de domo Parlamentari, ab iis qui suffragiorum jus non haberent, dejectos et deturbatos fuisse vociferantes: deq; tantis sibi illatis injuriis, se apud Proregem, et Regem ipsum questum ituros, minitantes. Itaq; non multò post cum sæpe rogati, ut in Comitium reverterentur, ita facere recusâssent, ad Proregem querebundi vadunt. Prorex, sui nec juris nec arbitrii eam rem esse, sed de suffragiorum iure iudicium penes ipsum Parlamentum esse respondebat: reverterentur itaq;, et communibus suffragiis ex utroq; genere certos Delegatos eligerent, ad quos, pro more, hujusmodi controversiæ deferendæ erant. Ea sententia cum minùs placeret: ad ipsum Regem provocabant. Responsum est, irent, cum vellent; ad Regem veniunt: ibi de iniuriis in Parlamento illatis multa, multa de gravaminibus aliis, in regni negotiis administrandis, longè vero plura de Prorege Cicestrio, malorum omnium Authore et fonte (sic enim præ se ferebant) querebantur. Itaq: Rex sereniſſimus, et hujus regni indulgentiſſimus semper Parens, tam gravi, tam numerosa, tam luctuosa Hibernorum querela motus, ex consilii sanctioris sententia, dignam rem eam esse statuit, quam maiestas sua, causa cognita, iudicaret. Nec mora quatuor selectos viros in Hiberniam de querelis

lis illis cognituros misit: quibus ipse Arthurus Ciceſtrius, Prorex, honoris causa adjungebatur, ne in tanta dignitate positus, et in Provincia sua constitutus, in Reorum numerum referri, et quasi causam dicere videretur. Qui tamen honore illo sibi delato, modicè omnino utebatur: raro admodum in Concilium cum reliquis veniebat, cum autem de se suisq; ageretur, penitùs abstinuit, libentiúsq; se, ut reum, quam ut Cognitorem obtulit. Omnibus igitur summa cum fide, industria, religione, perquisitis, reliqui cognitores quatuor ad Regem redeunt, et quod diligenti cura, vigili animi studio, et solertissima inquisitione comperissent maiestati suæ in scripta reductum referunt. Hiis gestis sereniſſimus Rex certum quendam utriusq; partis numerum ex Hibernia evocabat, quos de rebus ad Parlamentum spectantibus coram se disceptantes audire voluit. Aderant; coram Rege, præsente tunc sanctiore Consilio, disceptabant, ibi tum de tumultuosa Proloquutoris electione, de novorũ Municipiorum creatione, de suffragiorum jure tractabatur. Causa deniq; cognita, ex Consilio Judicum pronunciabat Rex, *Iohannem Davisium* militem in Proloquutorem jure fuisse electum. De militibus, Civibus et Burgensibus, qui vitio creati dicebantur, querelæ inanes, iniustæ, falsæ esse reperiebantur. Municipia omnia sive antiqua, sive nova, suffragiorum jus, habere ex prudentum sententia respondebatur. Veruntamen ne iniustissimis illorum hominum querelis et minus verecundæ importunitati, nihil concessum videretur. Mandavit sereniſſimus Rex ut quotquot municipia, post brevicularum, de quibus ante dixi, emissionem,

fuæ creationis literas impetrassent, quoad cætera, in suo robore permanerent; Hac tamen vice a suffragiorum jure et Parlamentari confessu abstinerent. Inde omnibus delictorum gratia a Rege facta, et omnes in Hiberniam redire iussi ad Comitia celebranda. Cum igitur Comitiorum adveniſſet dies, Proteſtantes, de legibus, et ſtatutis ferendis ſedulò cogitabant. De jure enim ſuffragiorum quæſtiones et controverſias, omnes Principis iudicio et ſententia deciſas, et non modo ſopitas, ſed etiam extinctas et æternæ oblivioni traditas fuiſſe exiſtimabant. Sed longè aliter ſe Res habebat, quam putabant. Etenim Iuriſconſulti nonnulli omnia rurſus turbare cœperant, et priuſquam ulteriùs quid ageretur, de ſuffragantium jure rurſus cognoſci poſtulabant; pleriſq; ut erat, non ſolum iniqua, ſed etiam audax et improba, viſa eſt poſtulatio. Illi contra obniti, et tanquam Augæi ſtabulum eſſet, Parlamenti domum purgari odioſiſſimè flagitabant; tandem ſurrexit è Plebe unus, orator quidem ille minime bonus, nec ad dicendum a natura comparatus. Sed tamen rei indignitate patientiam omnem ſuperante, ſibi quidem Sulphuris vivi pilam illo die in Comitium conjectam videri aiebat, quæ ſi in illo conventu materiem, quod abſit, incendio aptam reperiret, quid remedii ſupereſſe, quin omnes confeſtim, in antiquum illud confuſionis et diſcordiarum Chaos relaberentur? Quid eſſet, quod peteretur, edocebat. Specie quidem, ut de jure ſuffragiorum quorundam cognoſceretur, reipſa, ut prudentiſſimi Regis, æquiſſima ſententia in Anglia lata reſcinderetur: quo facto, quid tum poſtea vellent? interrogabat;

gabat; eandemve quam Rex prius tulerat, sententiam ferrent? an contrariam? si eandem, quid hoc aliud esse, quam actum agere? quam iudicatum iudicare? quam deniq; se ex eorum esse numero ostendere, qui nihil rectè factum putant, nisi quod ipsi faciunt? an vero contrariam? absit, inquit: quis enim nostrum esset, qui si partium consensu arbiter ad litem sumptus, sententiam tulisset, magnam sibi iniuriam fieri non existimaret si ab arbitrio partes resilire vellent? monebat deinde quantis cum querelis, quamq; obnixis precibus a Rege obtinuissent, ut illa in causa arbiter esse vellet: quanta Rex in vestiganda rerum veritate, cura, solertia, diligentia, usus esset: quam solemnitèr deniq; Res gesta fuisset, omnibus in memoriam revocabat. Et nos, inquit, ab hac sententia prudentissimi Principis recedemus? aut tanquam Rabulæ forenses, una actione victi, statim ad alteram decurremus? Tironæus si adesset, quid aliud, inquit, faceret? aut qui gratior nuntius, ad eum ejusq; sequaces Romam nunc perferri posset? An vero in mentem non venit, quod a sapientissimo Salomone dicitur; *Divinatio in labijs Regis: in iudicio non errabit os eius?* At enim, adnitendum esse pro honore domus. Fateor, inquit, sed non cum iniuria Regis: quid multa? vehementèr magis quam copiosè dicendo effecit; ne quis contra hiscere auderet. Itaq; res ad majores Delegatos integra reiicitur: ibi penitus sopita, nec unquam postea in Comitiis agitata fuit: Vnus tandem homo, qui sibi cæteris prudentior semper videbatur, protestationem suam admitti petiit: quæsitum, quid rei esset: respondit, protestari se, quod

tia ante damnatæ non fuissent; aut si novas emergere contigisset, absq; hac cautione proponi non potuissent? Sed quid hoc ad rem? dixit Analectes: *Solennem Protestationem Catholicæ partis in actis publicis conscriptam, & in manuscripto Codice Parlamenti consignatam esse, veteres indigenas vim passos esse*: primum nullam hic protestationem extare doceo; deinde nihil hic *de vi* scriptum esse, confirmo. Aliam enim protestationem vestram, si in Codice Parlamenti quæritis, non invenietis. Ac ne quis aliud actum, aliud scriptum esse dicat: Testes appello, cum alios omnes, tum ipsum *Richardum Vadingum, Waterfordiæ*, dum Civitas esset, Civem, qui dum decretum illud Clerici manu scriberetur, (nam memini) adstabat, videbat, notabat, ipsum deniq; scribentis manum, ne quid falleret, diligentissime observabat, & huius ad posteros famæ præter omnes ambitiosissimus videri voluit: imo, & huius, quæcunq; demum ea sit, protestationis author fuit; quid igitur tibi in mentem venit, Analecta? aut quem tu Authorem nactus, ista tam falsa, tum pernitiosa, tam pestifera consilia non solum vulgi oculis videnda, sed etiam illustrissimi Principis nostri, Regumq; & Imperatorum omnium iudiciis damnanda obtrudere voluisti? Quid enim? Quisquamnè ex Protestantibus, qui tum aderant, adeo, vel natura simplex erat, vel totius vitæ ratione improvidus, tam rerum ad Rempub: pertinentium negligens? tam existimationis suæ & famæ securus, ut illud tam indignum, tam vniversæ Comitiorum rationi contrarium, tam absurdum postulatum, *indigenas vim passos esse*, ut inter acta publica,

publica, referretur, non mori quam pati maluisset? At scire vellem, quænam fuerat illa vis, quam passos fuisse arguis? *Quando*, inquit, *& in ipso atrio atq; Domicilio Parlamentari, ad terrorem ingredientium, collocato militum satellitio, cum hastis, sclopetis & igniarijs restibus accensis, tormentis quoq; maioribus per aream dispositis, advocatis etiam è longinquo præsidiarijs Cohortibus ad pauorem augendum, & cum isto militari apparatu, ipsi novi Coloni gladijs accincti, quasi in ludum gladiatorum, sic in Curiam hanc, quæ deberet esse Asylum pacis, descenderent.* Quid? tu legitimum Magistratus imperium, vim esse dicis? at secundum Apostolum: Principes non sunt timori benè operantibus, sed malè: *si igitur malum feceris*, inquit, *time, non enim sine causa gladium portat.* Ista autem, quæ a te tam invidiosè numerantur omnia, militum satellitium, hastæ, sclopeti, restes igniarii, tormenta bellica, quibus magistratus, cum causâ postulat, ad terrorem malorum, præsidium vero bonorum vtitur, nihil aliud, vti credo secundum mentem Apostoli, sunt, quam gladius; quem, si vobis formidabilem fuisse dicis, vos certè malum, vel feciſſe fateris, vel saltem, cogitasse: Quis vero tam in rebus ad imperium pertinentibus peregrinus est & hospes, ut fortissimū ducem, simul & vigilantissimum Præsidem, & in huius Regni specula constitutum reprehendat, si tali tempore, tam dubiis rebus, commotis Hibernorum, consternatis nostris, erectis & suspensis omnium, expectatione Comitiorū, animis, gliscente inter Magnates odio, militum, Civium, Burgensium, electionibus, per diversas factiones, & adversa

Respon. ad ea-lumniam de Proregis satellitio. Pag. 101. & 102.

quamvis nihil ultra, illo tempore, adverſus ſuffragia dicerent, liberum tamen ſibi inſuturum eſſet, cum voluerint, exceptiones exponere. Res, quo ſtolidior erat, eo facilius ab omnibus impetrata: admittitur igitur proteſtatio, quatenus de iure; poſtulabat deinde, ne poſteros lateret, quam ſolliciti de Repub: fuiſſent, ut proteſtatio illa ſua, inter acta publica referretur: nihil recuſatum: referri iubetur, ut ipſa illa proteſtatio, teſtis ſtultitiæ, indicium arrogantiæ, quam ſeditioſè ſe geſſerant, argumentum, ad poſteros remaneret.

Quoniam tamen Analectes iſte hoc a ſuis vel ſumma contentione elaboratum, vel evictum conſtantia, vel ſupplici aſſiduitate et ſollicitudine impetratum fuiſſe ait, ut ſolennis illa Proteſtatio Catholicæ partis in actis publicis conſcriberetur, et in manuſcripto Codice Parlamenti ad perpetuam rei memoriam extaret conſignatum: *Veteres indigenas vim paſſos eſſe.* Ideo me et operæ pretium, et ex officii mei ratione facturum puto, ſi ex ipſo manuſcripto Parlamenti Codice decretum ſuper illa poſtulatione communi conſenſu factum fideliter deſcripſero.

Decreti

¶ Decreti Formula.

Cum variæ exceptiones præpoſitæ fuerint in primo conventu Parlamentari: et infra: Ideo de communi domus ſententia conventum eſt, ut pro fœliciore rerum expeditione dictæ exceptiones præſenti hac ſeſsione ſileant et in ſuſpenſo ſint: cum hac cautione, quod legis cuiuſcunq; promulgatio, ſive alius quicunq; actus, nullatenus in exemplum tranſibit, quo minus exceptionum ſive illarum ſive aliarum quarumcunq; beneficium ſalvum deinceps maneat, quatenus lege vel iuſto exemplo ante hoc Parlamentum uſitato defendi et probari poſsit.

Hoc eſt igitur illud Parlamenti Decretum, ad petitionem veſtrã interpoſitum: vbi tamen ipſum Proteſtationis verbũ, in quo ſuſpicionis aliquid, aliquid periculi, & occulti mali, latere potuit, omittitur, cautionis adhibetur; quid autem cavetur? *Ne legis cuiusquam, aut Statuti promulgatio in exemplum tranſeat, quominus beneficio exceptionum, ſiue illarum, ſiue aliarum poſtea vti poſsint.* O præclaram ſapientiam, & ſententiam, illo, illo, inquam, homine plane dignam, qui ſuam Civitatem brevi poſt pernitioſis conſiliis everſurus eſſet: quaſi vero illæ omnes exceptiones, vel ut falſæ vel ut frivolæ Regis ſententia

tia ante damnatæ non fuissent; aut si novas emergere contigisset, absq; hac cautione proponi non potuissent? Sed quid hoc ad rem? dixit Analectes: *Solennem Protestationem Catholicæ partis in actis publicis conscriptam, & in manuscripto Codice Parlamenti consignatam esse, veteres indigenas vim passos esse:* primum nullam hic protestationem extare doceo; deinde nihil hic *de vi* scriptum esse, confirmo. Aliam enim protestationem vestram, si in Codice Parlamenti quæritis, non invenietis. Ac ne quis aliud actum, aliud scriptum esse dicat: Testes appello, cum alios omnes, tum ipsum *Richardum Vadingum, Waterfordiæ,* dum Civitas esset, Civem, qui dum decretum illud Clerici manu scriberetur, (nam memini) adstabat, videbat, notabat, ipsum deniq; scribentis manum, ne quid falleret, diligentissime observabat, & huius ad posteros famæ præter omnes ambitiosissimus videri voluit: imo, & huius, quæcunq; demum ea sit, protestationis author fuit; quid igitur tibi in mentem venit, Analecta? aut quem tu Authorem nactus, ista tam falsa, tum pernitiosa, tam pestifiera consilia non solum vulgi oculis videnda, sed etiam illustrissimi Principis nostri, Regumq; & Imperatorum omnium iudiciis damnanda obtrudere voluisti? Quid enim? Quisquamnè ex Protestantibus, qui tum aderant, adeo, vel natura simplex erat, vel totius vitæ ratione improvidus, tam rerum ad Rempub: pertinentium negligens? tam existimationis suæ & famæ securus, ut illud tam indignum, tam vniversæ Comitiorum rationi contrarium, tam absurdum postulatum, *indigenas vim passos esse,* ut inter acta publica,

publica, referretur, non mori quam pati maluiſſet? At ſcire vellem, quænam fuerat illa vis, quam paſſos fuiſſe arguis? *Quando*, inquit, *& in ipſo atrio atq; Domicilio Parlamentari, ad terrorem ingredientium, collocato militum ſatellitio, cum haſtis, ſclopetis & igniarijs reſtibus accenſis, tormentis quoq; maioribus per aream diſpoſitis, advocatis etiam è longinquo præſidiarijs Cohortibus ad pauorem augendum, & cum iſto militari apparatu, ipſi novi Coloni gladijs accincti, quaſi in ludum gladiatorum, ſic in Curiam hanc, quæ deberet eſſe Aſylum pacis, deſcenderent.* Quid? tu legitimum Magiſtratus imperium, vim eſſe dicis? at ſecundum Apoſtolum: Principes non ſunt timori benè operantibus, ſed malè: *ſi igitur malum feceris*, inquit, *time, non enim ſine cauſa gladium portat.* Iſta autem, quæ a te tam invidioſè numerantur omnia, militum ſatellitium, haſtæ, ſclopeti, reſtes igniarii, tormenta bellica, quibus magiſtratus, cum cauſa poſtulat, ad terrorem malorum, præſidium vero bonorum vtitur, nihil aliud, vti credo ſecundum mentem Apoſtoli, ſunt, quam gladius; quem, ſi vobis formidabilem fuiſſe dicis, vos certè malum, vel feciſſe fateris, vel ſaltem, cogitaſſe: Quis vero tam in rebus ad imperium pertinentibus peregrinus eſt & hoſpes, ut fortiſſimũ ducem, ſimul & vigilantiſſimum Præſidem, & in huius Regni ſpecula conſtitutum reprehendat, ſi tali tempore, tam dubiis rebus, commotis Hibernorum, conſternatis noſtris, erectis & ſuſpenſis omnium, expectatione Comitiorũ, animis, gliſcente inter Magnates odio, militum, Civium, Burgenſium, electionibus, per diverſas factiones, & adverſa

Reſpon. ad calumniam de Proregis ſatellitio. Pag. 101. & 102.

Partium ſtudia, ubiq; celebratis, tanta deniq; deſperatorum hominum multitudine *Dublinium* confluente, ille et urbem ipſam, et Arcem, Copiis, Præſidiis, et omni apparatu bellico firmabat? quæ omnia, non ad timorem ſuffragantium animis incutiendum, ſed ad nefarios quorundam perditorum hominum conatus et impetus coercendos, et ipſam *Dublinij* urbem, vel in officio continendam, vel a periculo conſervandam, comparata fuiſſe apparebat. Quæ quidem nuda, et præſidiis vacua ſi fuiſſet, ab ipſa equiſonum et ſervulorum, qui tum aderant, multitudine, capi, opprimi, diripi, dirui potuiſſet: et hæc quidem, inter alias, querela, a vobis ad Regem contra ipſum *Progegem* delata erat; quid igitur? Vtrum Rex factum eius vituperio et reprehenſione, an laude et commendatione dignum exiſtimabat? nunc etiam ad Imperatorem, ad Reges, ad Principes, de vi iſta vobis illata, conquerimini: ſed nec Imperator, nec Rex aliquis, nec Princeps, nec prudens quiſquam, illud in eo temerè reprehendet, quod in pari cauſa, vel a ſe, vel pro ſe, factum eſſe vellet. Iugulum, credo, *Ciceſtrius Prorex*, et ſuum et noſtrorum omnium, non dicam veſtro, ſed ſervulorum et Sacerdotum veſtrorum, qui tum frequentes in urbe aderant, arbitrio, libidini furori, præbuiſſet. Ita veſtras, de vi, metuq; querelas gnaviter evitaſſet. Quin vos potius, ſine cauſa queramini ſemper, quam nos iuſtam dolendi cauſam habeamus. Digni enim profecto eſtis, Analecta, qui metuatis ſemper, potius, quam qui aliquando metuamini. At enim ex Proteſtantibus nonnulli gladiis cincti in Comitium veniebant: omnes ſi veniſſent, aliquid eſſet;

Reſpon. ad calumniam de iis qui gladiis accincti in Comitiũ venichant. Pa. 102.

nunc

nunc autem quid est, quod reprehendis? *tanquam in arenam gladiatorum*, inquis, *descendebant*: immo vero, ut in convivium, ut in Regiam Principis, ut in Dei Templum, non in pugnam intenti, sed decoris causa armati, veniebant: etenim; ut præclarè ille apud Poetam, *Decor est quæsitus in istis: Mars quoq; ob hoc, capere arma solet.* Si igitur pergis molestus esse, et alium quidem arenæ, alium Curiæ locum esse dicis: si illi gladios, huic togas magis convenire contendis, non repugno: sed tamen non amo Stoicè agentem, et a ratione usuq; loci, ad disciplinæ præcepta, omnia revocantem; multo minus eum, qui ea quæ dum ad morem loci, et temporis, quo vivitur, referuntur, rectissimè fiunt, ad suspicionem, ad odium, ad invidiam conflandum, sermonibus detorquet. *Sed ex hoc*, inquis, *ortum est, tam ingens dissidium, ut primo die Comitiorum, facta utriusq; partis separatione, illis egressis, nostri per aliquot horas, retinuerunt suum locum impermisti: nec deinceps in unam cum illis societatem coire, aut unum inire cœtum voluerunt: donec Imperio Regio, quasi Alexandri gladio, nexus Gordius, scindi magis quam solui placuisset.* D. Pa. 102.

Mitto hic de dissidii illius vel causa, vel modo dicere; quandoquidem, teste mihi conscientia mea, omnia quæ ad hunc locum pertinent, superiùs, et quidem ridè integra, enarravi. Mitto etiam solœcismum: *Donec*, inquit, *nexus Gordius scindi magis quam solui placuisset*: neq; enim in hoc fortunæ Hiberniæ positæ videntur: sed nec sugillandi causa dico. Quod enim tibi, Analecta, viro non inerudito, et scribendi artifici nunc contigit, ut in scriptionis tuæ cursu verbum aliquod minus congruum excide-

rit, id mihi, homini tardiori, nec in iſto ſcribendi genere ſatis exercitato, ſæpe et quidem uſu venire poteſt. Quod ſi acciderit, veniam quam do, mihi rurſus concedi poſtulo. Do etiam, quod veſtros locum ſuum aliquot horas impermiſtos retinuiſſe aſſeris: falſum enim hoc, id quod ne veſtri quidem, quos locum tenuiſſe dicis, interrogati negare velint; neq; enim octavam vnius horulæ partem, ſuo furore fruebantur: nam ſi ea, quæ a te in hiis Analectis tuis minus verè dicuntur, omnia perſequi, refellere et refutare vellem, nullum unquam ſcribendi finem facerem. Quod vero controverſiam illam totam, veluti nodum Gordii, Imperio Regio, quaſi Alexandri gladio ſcindi magis quam ſolvi placuiſſe ais, quod alio etiam in loco dicere non dubitas: *Veſtros ſtridentem Aquilonem, noſtros Auſtrum lenitèr ſpirantem, expertos eſſe, dum controverſia ipſa ex Regis voluntate terminaretur: quod Procuratores veſtros, vomicas et Apoſtemata Reipub: aperuiſſe, cauſa autem morbi cognita, et ipſa conſpecta ægritudine, cum medicamen in procinctu eſſe poterat, medicum ad alias cogitationes fuiſſe devocatum: non expedire gentem hanc ſeditionibus aſſuetam, novitatibus addictam, in re ulla audire, contra gubernatores ſuos: non eſſe dehoneſtandos magiſtratus Regios, multo minus ipſum Proregem: alioquin frangi nervos Imperij, et Regiam elidi authoritatem.* Iſta quidem omnia non ſolœciſmũ in verbis, ſed in moribus et diſciplina tuis, nequitiam et effrænatam malè de Rege dicendi libidinem, tibi cum aliis pleriſq; tuæ Sectæ hominibus communem arguunt. Controverſiam illam Regis Imperio et voluntate terminatum fuiſſe ais: imo vero, iudicio, ratione, ſen-

Reſpon: ad calumniam, de cauſa, non iudicio ſed imperio Regis terminata.

ſententia lata, cauſa cognita, prolatis tabulis, auditis teſtibus, vocatis partibus, tota re diſceptata, iuſto deniq; juris ordine ſervato, deciſam fuiſſe demonſtravi: non, inquam, voluntate (quam tamen in vos, ô Hiberni, verumq; Commodum et utilitatem ſemper propenſiſſimam fuiſſe vidimus) in controverſiis illis decidendis uſus eſt Rex, ſed Conſilio. Quî, inquis, hoc fieri poteſt? cum procuratores noſtri vomicas et Apoſtemata Reip: illi aperuerint? Immo veriùs ſuorum animorum, ſenſuum et affectuum venenum et virus evomuerunt; neq; enim accuſatores juſti, ſed murmuratores (ut Apoſtoli verbis utar) queruloſi, et criminatores falſi apparebant: nimirum tantiſper æquiſsimus Rex illorum querelis patientem aurem præbuit, donec eos ſua patientia nimia et in audiendo lenitate ad immoderatam calumniandi libidinem abuti cerneret. Quem enim ferè hujus Regni magiſtratum intactum relinquebant? Ciceſtrium vero Proregem, virum vndiquaq; laudatiſſimum, et quem tu in ſumma invidia, ſummis et naturæ dotibus et animi virtutibus ornatum eſſe negare nequeas, quibus non conviciis lacerabant? Et illi quidem cum eo, ut volent; nihil enim ad me: nihil ad inſtituti mei rationem, nihil ad oneris a me ſuſcepti curam aut fidem pertinet: cum eo, inquam, illi, ut volent: malè ſi fecit, malè audiat. Sed quæ hæc eſt in te libido, maieſtati Regiæ oblatrandi? non conſiliũ, non rationem, non ſententiam, ſed voluntatem, ſed imperium, ſed Alexandri gladiũ in iudicium attuliſſe ais: *Cauſa*, inquis, *morbi cognita, et ipſa conſpecta ægritudine, medicamen in procinctu eſſe poterat: niſi medicus ab ipſa occupatione, ad alias cogitationes devocaretur.* Quid vero hoc eſt aliud, quam

Reſpon: ad calumniam de conniventia Regis.

Pag. 119.

quam ſanctiſſimum et integerrimum Regem, hujus Regni calamitates et injurias, ſatis quidem vidiſſe, ſed nec illas tollere, nec has ulciſci voluiſſe? quo nihil adverſus potentiam et dignitatem et appellationem Regiam gravius dici aut iniurioſius a te cogitari potuit. Cætera enim, quæ in Reges et Principes convicia jactari ſolent, libido, luxuria, ſuperbia, avaritia, hominē fortaſſe lædunt, Regis dignitatem, non multum premunt: at vero ſubditorum querelas, et injurias, vel non cernere, vel cum viderit, vindicare nolle, hoc quid eſt aliud quam Regem eſſe nolle? Itaq; non conſtantèr magis quam prudentèr a muliere quadam reſponſum fuiſſe dicitur: quæ cum ad *Philippum Macedonum Regem* querelam detuliſſet: et ille querelis audiendis ſibi non vacare reſpondiſſet, quin tu igitur *Philippe*, inquit, deſine Rex eſſe.

Regis enim proprium eſt hoc iudicandi munus; quod qui derrectat, ſuæ quidem dignitati ſecurim altiſſimè infligit, et ſuorum animos a ſe alienos reddit: Neq; vero iſta calumnia in Regem noſtrum alio animo a te jactatur, Analecta: At in quem Regem? in illum nimirum, qui omnium hujus ſeculi Regum, non ſolum in iudicando peritiſſimus, ſed etiam ad audiendum paratiſſimus habetur. Verum ad alias cogitationes devocatum fuiſſe ais: quæro, ad quas? *Non expedire*, inquis, *gentem hanc audire adverſus gubernatores ſuos*: immo vero, et antea dixi; tantiſper eos auditos fuiſſe, donec eos, patientia Regis ad calumniandi libidinem aburi, appareret, et nunc dico, ad nauſeam uſq; et faſtidium fuiſſe exauditos: ſed hic forenſium rabularum mos eſt; et ſemper erit,

rit, ut cum ſe cauſa victos eſſe ſenſerint, nec ulterius quod dicãt, habeant, ſe a Judice auditos fuiſſe negent. At enim, ſi ſubditis detur refragandi aditus, frangi nervos imperii, et Regiam elidi authoritatem cogitabat. Immo vero *Regis qui iudicat, in veritate pauperes, thronum in æternum firmari*, intelligebat: neq; vero quicquam tam populare cogitari poteſt, quam Iudices et Magiſtratus, rationibus reddendis obnoxios reddere. Itaq; prudentiſſimus Rex, cum Ciceſtrium ad ſe ex Hibernia vocaſſet, procuratores illos, cum eo, de quavis querela diſceptantes coram audiebat: quem ſi ſua innocentia, ab illorum calumniis non defendiſſet, juſtam ille Regis in ſe ſententiam et indignationem non evitaſſet. Vtrumque nimirum fecit Rex, et eorum querelas audire non recuſavit: & cum eas vanas & falſas eſſe comperiſſet, virum, conſtantia, prudentia innocentia clarum, inimicorum ſuorum, nec precibus donare, nec inſidiis prodere, nec invidiæ & odio calcandum prebere voluit; ne quod dici ſolet, dextra ſua, lævam præcidere, & vnius inſontis calamitate, alios regni Miniſtros omnes in officio ſegniores reddere videretur.

Iſta igitur quæ ate, Analecta, tam adverſus ſereniſſimum Regem noſtrum, cuius tu maieſtatem, vt divinæ proximam, & ea ſola in terris minorem, revereri, non maligno ſermone lædere debuiſti, quam adverſus Ciceſtrium Proregem alioſq; regni Præfectos & miniſtros evomuntur omnia, non crimina ſunt, ſed convitia, nec mira Analecta, ſed, mera maledicta cenſeri meruerunt: quibus quoniam abundè ſatis, in præſenti reſpondimus: age, nunc ad alia tranſeamus.

Nunc

Reſpon. ad calumniam de exautoratione Ciceſtrii Proregis ab Hibernis deſiderata. Pag. 111.

Nunc igitur, inquit, *finitis Comitijs, non deſinunt interpellatores pro officio Proregis, nec ipſi ardentiùs ambiunt illum magiſtratum, quam ſubditi pleriq; ambiunt eius abſceſſum, Quicquid enim evenerit, mutari præſentem optant: & unum eſt omnium votum, ut in eius loco ſurrogetur alius.* Quid? hoc tu Analecta, inter nova & mira collocas? atqui vetus eſt, frequens & vſitata Res eſt: communis omnium Præſidum & Præfectorum conditio, & fortuna eſt: id quod ex Marco Tullio, me Puerum adhuc & ſub ferula agentem didiciſſe memini. Is enim cum Lucium Flaccum virum innocentiſſimum poſt Præturam in Aſia actam, infinitis Provincialium querimoniis, oneratum defenderet: *ô conditiones miſeras*, inquit, *adminiſtrandarum Provinciarum: In quibus diligentia plena ſimultatum eſt, negligentia vituperationum; vbi ſeueritas periculoſa eſt, liberalitas ingrata, ſermo inſidioſus, frons omnium familiaris, multorum animus iratus: Iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ; venientes Prætores expectant, præſentibus inſeruiunt, abeuntes deſerunt.* Quid igitur mirum, ſi quod omnibus contigit, id & Ciceſtrio contigerit? Neq; vero hoc Provinciarum Præfectis, modò vſu venire ſolet, ſed ipſis interdum Pontificibus Romanis. Notum eſt, quod in Clementem octavum Rixit Paſquillus. *Cætera eum bonum, & rectum videri: duobus tamen grauiter peccare modis; altero quod nepotes ſuos nimium ditaret, altero quod nimis ipſe diu viueret.* Sed eſto; Ciceſtrii abceſſum optabant Hiberni. Quid mali autem fecit? neſcio, inquit, ſed *mutari præſentem optant; ſive id fiat tædio ſeueritatis, ſive ſtudio novitatis, ſive etiam odio,*

Oratio pro L. Flacco.

&

& pauore viri verſatiſſimi in Rebus Politicis, & accuratiſſimi omnium exploratoris; qui multo iam vſu præpollens, perſonarum, locorum, negotiorum, notitiam aſſequutus, neq; enim, inquit, aliunde deſcendit audentia ſevioris imperij, quam ex fiducia notitiæ, induſtriæ, & ingenij proprij, conuincta cum authoritate, & viribus omnia peragendi pro arbitrio. Eſt profecto, ut dicis, Analecta: ſunt hæc omnia in illo viro ſumma: rerum notitia, ingenii vis, nullis laboribus fatiganda induſtria, vſus, Regendi peritia, & ars quædam tractandi homines; omnium, qui alicuius in hoc Regno notæ aut exiſtimationis eſſent, non ſolum perſonas & nomina memoriter tenebat, ſed etiam vitæ rationes, mores, ingenia, ſtudia; quid agerent, quid molirentur, res quietas an novas cuperent, conſilia deniq; omnia exploratiſſima habebat. Quid igitur? an tu has tot, tantaſq; & tam eximias animi dotes & virtutes, vitio illi vertis? vereor ego Analecta, ne te Ciceſtrius conduxerit: ne tu hîc prævaricatorem egeris; nam ſi tibi vir præclariſſimus aliquis, & tibi amiciſſimus ſummo tuo ſtudio laudandus eſſet, quid ad honorem maius? quid ad famam illuſtrius, quid ad memoriam nominis ſempiternam magnificentius, dixiſſe poteras? frequens es & multiplex in comparationibus, Analecta: miror igitur, quod per ſummam contumeliam, eundē Ariſtidi ſimilem non dixiſſes: vt enim Cives ſui eum ob iuſtitiam ejecerunt: ita huius diſceſſum ob regendi peritiam Hiberni votis omnibus, vt ais, exoptabant. Nam ſi iuſtā ſi probabilem, ſi non ridiculam huius illorum voti cauſam reddere voluiſſes, libidine, rapinis,

crudelitate, saltem negligentia, iniuria, socordia, eum apud bonos et graues viros infamem facere debuisses; de libidine autem quî potes? Cujus ille uxorem, filiam, ancillam, pellexit, abduxit, rapuit? Porro in toto illo suo undecim annorum magistratu, cujus ille Hiberni terras, aut possessiones, vel vi, vel pretio abstulit? tantum vero hoc abest, ut ne latum quidem pedem, præterquam ex dono Regis, in Hibernia, vel suo vel alieno nomine possideat. Quod enim Prætoribus et Præfectis Romanis, legibus interdictum fuerat: *Ne quis in Provincia sua contraheret*, ineo Ciceſtrius, sibi lex ipse fuit. Itaq; nullius unquam terram, non solum, non emit, sed nec licitatus est. Quid? quod minimo sæpe oblatas semper respuit: Nam quod ad crudelitatem et sanguinem attinet? cum ipse ab eo natura abhorrebat; tum, si maximè sævire voluisset, sub tam pio Principe ei id facere non licuisset.

Cicero oratio 4 in Verr.

Quod si in istis, quæ communia omnium Præfectorum vitia esse videntur, eum lædere non potuisti, eum certè laudibus suis onerare, et veris decoribus obruere non debuisti: Sed audiamus et alia, *Vnum*, inquit, *est omnium votum, ut in eius locum surrogetur alius; de quo minus periculum esset degenerandi in abusum Potestatis, quominùs comprehensam haberet artem et formam sic dominandi.* Ego vero te deamo, Analecta, propter istam simplicitatem tuam; sed tamen hæc utcunq; a tuis improbè cogitari potuerunt, a te certè in communem hominum notitiam ita temere efferri non debuerunt: Mitto quod de abusu potestatis, et de dominatione loqueris: fellis hæc et livoris consueti, verba sunt. Ad rem vero et verborum effectum

effectum quod attinet, quid eſt, quod ais? nempe ideo, inquis, Hiberni noſtri *Proregem* alium, alii quotannis ſubrogari cupiunt, ne quis unquam longo uſu edoctus, artem et formam regendi Hiberniam comprehenſam, plenéq; cognitam et exploratam habeat. Nolunt, opinor, Proregem nimis prudentem, perſpicacem, intentum, impigrum, rebus agendis nimis accommodatum: nolunt, qui de ſua prudentia, induſtria, virtute, confidat; præſertim qui ad cæteras ſive naturæ dotes, ſive diſciplinæ artes, longum in Hibernia uſum, et rerum experientiam adiecerit, longè averſantur. Si quotannis alius alii ſubrogetur, homini, quantumvis ingenio et induſtria præcellenti, tamen novo, et in rebus Hibernicis minus exercitato, ad tempus illudere, eumq; nunc ſpem vanam faciendo, nunc terrores inanes iniiciendo, donec circumagatur tempus, fallere ſe poſſe ſperant. Iſta, inquam, prudentius ab illis cogitari, quam a te, Analecta, dici potuerunt; Quanquam ut mea fert opinio: iſta ab iis ne cogitantur quidem; namq; eſto: in rebus politicis verſatum nolunt: navis igitur ignarum ad clavum, opinor, ſedere volunt. Accuratum rerum omnium exploratorem reformidant: Cæcum igitur Cæcorum ducem requirant, ut ſic intrepidè uterq; in foveam ruat. At perſonarum omnium notitiam habuit? quid autem gratius? quid laudabilius, in duobus præclariſſimis viris, Themiſtocle Athenienſium Duce, et Cyro Medorum Rege fuit, quam quod ſuorum ille Civium, hic militum nomina memoriter tenebat? Hanc igitur in Prorege ſi virtutem ineſſe nolunt, ergo cum ſibi Præſidem dari cupiunt, qui rerum et perſonarum

notitiam, vel nunquam habuerit, vel quam habuit, perdiderit: qui neminem suo nomine compellare, poterit: qui deniq; *Mac Mahon* qui sit, cum *Mac Guiri* nomine salutet.

Quod si ista absurdiora sint, quam ut in cujusquam hominis mentem cadere possint, quantam tu Analecta, universo huic populo facis iniuriam, qui ista illi consilia tribuis, de quibus ne per somnum quidem sobrius aliquis unquam cogitavit? Gratulor vero non tam ipsi Ciceſtrio, quam prudentissimi Principis, de illo, iudicio, et regni istius fœlicitati; quod post undecim Annorum Magistratum, non aliis, quam prudentiæ, notitiæ, vigilantiæ, et severitatis nominibus, quum maximè id cupias, ejus discessum cuiquam optatum fuisse affirmare queas. De quo viro plura quidem hoc loco dicerem. Sed nec is est Ciceſtrius, qui meo vel Patricinio ad salutem, vel præconio ad laudem egeat: et ego in illius laudibus, si multus esse vellem, nec illius offensam, nec aliorum suspitionem forsitan evitarem.

Itaq; viam, qua sum ingressus, et qua ducit, Analecta, sequar, non quidem per vestigia, sed quasi per compendium: ne nugas sectando bonas horas malè collocasse videar. *Illustratur primum igitur*, inquit, *præsens conditio Catholicorum in Hibernia ex consideratione vetustissimarum urbium, et rerum publicarum ex D: Augustino.* Sic soles Analecta: quicquid uspiam, ornatè, gravitèr, copiosè, de Regnis, de Rebuspub: de pietate, de statu ecclesiæ, de orthodoxa religione dicitur, id tu præsenti causæ inserviendo, et magna parvis, vera falsis comparando, ad Hiberniæ tuguria, et vestræ superstitionis sordes, multa cum arrogan-

Pa. 121.

tia,

tia, et magno fastu, sed nullo ingenio, detorquere soles. Quibus quære, qui respondeat: ut enim tu maledicere didicisti: ita ego malè simul et insulsè dicta contemnere consuevi. Sed est tamen in hujus articuli fine, cui respondisse velim: quereris nempe, quod legibus regni nullus locus vestræ religioni relinquatur. Etenim, *concedunt*, inquis, *hodie Agareni, suis tributarijs: concesserunt Arriani Principes subditis Homoousijs: concessit Theodoricus Rex, concessit Rotharis, concessêre alij Proceres et Dynastæ, concessit Ethelbertus Rex etiamnum Paganus Berthæ Reginæ de gente Francorum; Conceduntetiam hodie Catholici Principes commorantibus in eorum Dominijs diversarum sectarum hominibus: nobis vero hoc non conceditur.* Pa. 126.

Quid Agareni, quid Ethelbertus, aliiq; Pagani fecerint, nec quæro, nec curo; cum nobis sive credendi, sive regendi, ab illis petenda exempla non sint: ne quidem quid Arriani, homines minimè Christiani, aut Romana Religione obstricti Principes factitaverint, ad exemplum quod attinet, magni faciendum esse puto: sed ne quis vestrum miretur, quid sit, quod, cum illi omnes Christianæ, et Orthodoxæ religioni locum, et libertatem dederint, nos istis non concedimus, brevi rem expediam. Primò Pontificia Religio, Orthodoxa non est; quî enim Recta dici potest, quam ad Lesbiam humanarum traditionum regulam, non ad divini verbi normam, et amussim dirigi, nemo ambigat? deinde ea est, quæ salvo Regis nostri jure, salva dignitate, salva vita, regni legibus salvis, salva

Respon: ad calumniam de Romana religione in Hibernia non tolerata.

ſalva deniq; prudentia, tolerari nequit. Atenim Arriani tolerabant Homoouſios; quid ni? An enim Homoouſii peſtifera illa veſtra dogmata tenebant? aut ulla talis macula, nota, labes in illa eccleſia, aut illis omnino temporibus conſpiciebatur? quis unquam tantam impietatem ante *Gregorij* ſeptimi ætatem audiebat? ne ipſe quidem *Bellarminus*, quicquam illo tempore antiquius, ad hanc ſententiam confirmandam, cùm maximè id cuperet, proferre potuit; nam quod in Leone Iſaurico a Gregorio tertio, factum aſſerit, commentum eſt et fabula. Itaq; ut nihil hic de ſcelere Arrianorum, nihil de vera Homoouſiorum religione dicam: illud quod præſenti negotio ſatis ſit, dico; nihil fuiſſe, cur vel Arriani, vel Ethnici, Homoouſios a ſuæ religionis uſu prohiberent: non illi Arrianum Principem, non Regem Ethnicum et Paganum, non Perſequutorem, per Homoouſios, vel vi aperta tolli, vel inſidiis excipi et occidi poſſe affirmabant; non ea erat religio: non dogma; nullus erat tum Suarez, Mariana nullus, nullus Peronæ Cardinalis, qui iſtam tam nefariam, tam deteſtandam doctrinam diſcipulorum ſuorum animis infunderet. Mirum igitur, Analecta, non eſt, ſi cum cæteræ Religiones in diverſis regnis, et imperiis tolerentur, ſoli veſtræ libertas illa non concedatur: factio enim eſt, non religio, nec Chriſti regnum, ſed Papæ tyrannidem, aſtruere conatur. Nam ſi hæc a me in veſtram doctrinam vel temerè vel falſò conjecta ſunt crimina, argue, refelle, nega: magna nos cura, magna ſollicitudine, magno metu liberabis: ſi omnes eadem, hac de re, non ſentiatis; ſi aliud Cardinales et Ieſuitæ, aliud præcla-

Adverſus W: Barclaium.

clariſſima Sorbonæ ſchola ſentiat, doce vos eadem, quæ Sorbona ſentiat, cogitare. Cum hiis enim de doctrina, et opinionibus, in quibus error humanus verſari poteſt contendimus; cum illis de ſalute, et ſanguine dimicamus. Papam in Reges, in Regem, inquam, noſtrum, Pontificem Romanum jus habere nega. Sit hoc Analectorum tuorũ, unum: Populum Hiberniæ, qui Catholicorum nomine cenſeri volunt, infinitæ illi Romani Pontificis poteſtati reſiſtere ſtatuiſſe: aut pax vobis aut melior conditio offeretur. Sin Papæ tyrannidem in hoc regno, ſive occultis ſermonibus, ſive libellis editis, firmare pergis, patere nos, quæſo, nobis proſpicere, nec committere nos velis, ut frænum, quod per Dei miſericordiam vobis injecimus, noſtro ore per ignaviam accipere velle videamur.

Sed pergit Analectes, et *Hieroglyphico nautili piſcis, exponitur*, inquit, *modus vivendi Catholicorum in Hibernia, nautili*, inquit, *ſunt et inſigni Hieroglyphico ſit poſſunt nominari Sacerdotes noſtri, per quos mare, et terra, continens, et Inſularis, comerciis pietatis, inter ſe vinciatur.* Immo vero ſcribæ ſunt et Phariſæi, qui mare et aridam ambiunt, ut unum Proſelytam faciant, et cum fuerit factus, eum filiũm gehennæ duplo, quam ipſi ſunt, faciunt: nam quod ad reliquas Hieroglyphici tui partes attinet, piget dicere, quam ineptè a te et puerilitèr deſcriptæ, quam emortuis coloribus depictæ, quam nulla arte delineatæ, quam nullo penecillo adumbratæ ſint. Itaq; in hiis diutiùs non immorabor: ſed ad uberiorem doctrinæ tuæ fontem, et fœliciorem diſciplinæ venam, homo literarum cupidus feſtino. Quid igitur te nunc doc-

Reſpon: adſignem Hieroglyphicum nihil ſignificantem Pa. 198.

docturum spondes? Docco, inquis *in quo consistat vera gloria Catholici hominis*, magnam vero rem & præclaram: Audiamus igitur, quam ex profundo
Pag. 134. ista nobis eruatur sapientia: *Vera*, inquis, *Christiani*
Pag. 135. *hominis dignitas, vera gloria in vera virtute consistit.* Scimus: *quam si quæris citra veram & Orthodoxam fidem, vmbras & larvas consectaris.* Iam dudum accepimus; *& vbi te inuti'i labore fatigaueris, nihil nisi vanitates & sõnia cõsequêris.* Ista quidẽ a te, Analecta, verissimè dicuntur omnia, sed ea plus millies audivimus: verum a tam mirifico magistro uoui quidpiam & miri hoc loco audire cupimus. Iam, inquit, audietis; *Nos igitur, qui cum Apostolo gloriamus in infirmitatibus nostris, iustificati ex fide, quæ per dilectionem operatur, pacem habemus apud deum.* Enimuero, ô Beate, ista planè noua & verè mira est in tuæ sortis homine sententia. Hæc est enim vera, hæc verè hominis catholici, non quem vos fingitis, Romani professio, nec ista de re, Lutherus, si nunc viueret, aliter loqueretur. Tuq; Analecta, si ista ex animi tui sententia loqueris, non procul a regno cœlorum esse potes. Verum collige te, & mihi responde. Quid enim? an non quoties nos hæc eadem Apostoli verba vsurpamus, toties a vobis irridemur? an non iustificationem per fidem, tanquam rem inanem, & ridiculam, & nobis propriam, a vobis vero alienam, vel dicteriis lædere, vel conuiciis proscindere soletis? Tuq; ipse Analecta an non omnia libidinis fomenta, & effrænatam vivendi libertatem, ex hac de fide iustificante
Pag. 41. doctrina pendere in prima Analectorum tuorum sectione asseruisti? Et nunc tu te per fidem iustitiam

&

& pacem habere dicis, & in eo quod *per fidem accessum ad deum habeas*, gloriaris? Quis hic Eurypus? quæ hæc vertigo? aut vnde hæc animi tui tam subita mutatio? Nam quod addis, *Quæ per dilectionem operatur*, scire te velim, nec Lutherum, nec Calvinum nec ullum nostrorum hominum se vnquam a populo Christiano aliter intelligi voluisse. Nec tamen verba illa, vt a te hic narrantur, ita apud Apostolum scripta reperiuntur: sic enim tu: *Iustificati* inquis, *ex fide, quæ per dilectionem operatur, pacem habemus apud deum*, ad Rom. 5. Apostolus non sic: sed ita: iustificati igitur per fidem, pacem habemus apud deum: alio vero in loco; nempe ad Galat. 5. *In Christo Iesu neq; circumcisio*, inquit, *est aliquid, nec præputium, sed fides, quæ operatur per dilectionem*. Quid igitur? an te ideo reprehendo? planè non reprehendo: quod enim hoc in loco dixit, id in illo sensit Apostolus; & vbicumq; de Iustificatione per fidem loquitur, de illa semper fide loqui intelligendus est, vt nostri quidem tradunt Pastores, quæ per charitatem operatur. Itaq; Analecta, si quando in locum aliquem, siue Caluini, siue Lutheri, siue alterius cuiuscumq; ex nostris incideris, vbi de fide Iustificante loquuntur, calamum poscas velim, quodq; in Apostoli verbis paulo audacius feceris, id in illorum scriptis, bona cum gratia, feceris: *Quæ per charitatem operatur*, adde, & rectum illorum sensum vbiq; assequere. Nec te moveat, si *per solam fidem* nos iustificari dixerint: eam enim solam fidem intelligunt, quæ per charitatem operatur. Quemadmodum & Apostolus Paulus, *Iustificamur* inquit, *per fidem absq;*

operibus legis: hic ſi quæram per quam fidem? reſpondebis, opinor, *quæ operatur per charitatem:* ita fit, ut per fidem, quæ operatur, ſine ipſis operibus, id eſt, ſine operum meritis juſtificemur. Itaq; ut initio dixi, ſi hæc ex animo a te dicantur, non procul te a veræ religionis ſenſu eſſe puto: hoc eſt enim fundamentum religionis Chriſtianæ, renuntiare juſtitiæ noſtræ, quæ eſt per opera, et adhærere juſtitiæ Dei, quæ eſt per fidem in Chriſto Ieſu: Sin animi cauſa, et gloriabundus iſta loqueris, tamen pro ea, quæ mihi nunc tecum, utcunq; ignoto, intercedit conſuetudine, moneo, ut cautiùs dehinc te geras, ne temerè veritatem loquendo, in tuorum forſitan offenſam et odium incurras. Polus certè noſtrâs, vir magnis natalibus oriundus, nec mediocri ſcientia et doctrina præditus, et Romanæ eccleſiæ Cardinalis, iſta ipſa, quibus tu te nunc jactas, Apoſtoli verba uſurpando, in ipſo Cardinalium conclavi, Lutheranus audiebat, et Papatu, quem manibus jam premere videbatur, dejectus fuit. Iſta igitur quam venditas ſapientia, noſtra quidem, id eſt, hominum verè Catholicorum, corona eſt et gloria, Romani vero hominis, qualis erat Polus, qualis et ipſe tu, Analecta, es, dedecus et probrum cenſeri ſolet, quibus de Rebus fuſiùs ego hoc loco diſputarem, niſi me in illis non peritum magiſtrum, ſed humilem diſcipulum eſſe recordarer. Sed dicendum nunc eſt de antiqua Hibernorũ gloria: quam a tempore Iapheti filii Noe uſq; ad Patricii adventum barbariæ ſordibus involutam incuiſſe, doces, Analecta: *nihil*, inquis, *incultius, illo gladiatorio Principatu potuit eſſe: Quouſq; feritatem hanc et dominandi libidinem, domuit*

Duditius in vita Poli.

Pa. 143.

evan-

evangelium: et cæcas mentes illuſtravit Catholicæ veritatis radius, fideiq; Chriſtianæ receptio: quæ per Apoſtolicos Præcones, Roma ad hanc gentem tranſmiſſos, communicata nobis fuerat, et feliciter ſeminata: Ex hac enim et per hanc deterſa fuit Paganica Ruditas, et illa Barbaries, quæ huic nationi cum alijs communis fuit. Iſtud nimirum eſt quod toties in hiis Analectis tuis inculcatur: Chriſtianam religionem a ciſterna Romana, in Hiberniæ Paludes defluxiſſe: inde fieri, quod tanto impetu ad eandem cum Romanis religionem tuendam, Hiberniæ non ſolum populi, ſed etiam pecudes, et iumenta rapiantur.

Reſpon: ad calumniam de ſancto Patricio.

Qua in re, nec te, Analecta, nec alios diutiùs errare ſinam, ſed ea omnia, quæ vel hic a te, vel ab aliis alibi de Patricii veſtri Apoſtolatu narrantur, Monachorum figmenta et vulgi fabulas eſſe brevitèr demonſtrabo. Chriſtianam igitur religionem in Hiberniam primò, cum Parricio veniſſe putas. Is autem Patricius circiter annum domini quadringenteſimum trigeſimum floruiſſe creditur. Erat itaq; divo Auguſtino coætaneus: qui eodem Anno Hippone mortuus fuiſſe dicitur; ferax nimirum illa Chriſtianæ religionis ætas: ſed tamen evangelium magno cum ſucceſſu tam in Anglia, quam in Hibernia multò ante propagatum fuiſſe, conſtat. *Euſebius* quidem libro tertio Εὐαγγελικῆς Ἀποδείξεως, Apoſtolorum aliquos refert ὑπὲρ τὸν Ὠκεανὸν παρελθεῖν πρὸς τὰς Βρεττανικὰς καλουμένας νήσους, id eſt, ultra Oceanum profectos, ad inſulas, quæ Britannicæ appellantur: et *Nicephorus Calliſtus* libro tertio hiſtor: Eccleſiæ: cap primo: ex Apoſtolis, alium Ægyptum et Lybiam, alium extremas oceani regiones, et Inſulas

Trithem: de ſcriptor: eccleſiaſt: et alij.

Britannicas ſortitum fuiſſe docet. Quis autem ex illo numero Britannicas noſtras Inſulas Evangelicæ veritatis radiis primus illuſtrabat, variæ authorum ſunt ſententiæ, ſed ſingulas recenſebo. Alii Symonem zelotem evangelii doctrinam, ad Occidentalē oceanum, Britannicaſq; inſulas pertuliſſe referunt. Alii Apoſtolum Paulum in Hiſpaniam cum veniſſet, inde ad Britannos evangelium prædicando, vela feciſſe memorant. De quo quidem Venantius Fortunatus verſibus loquutus, dixit:

Nicephor: lib 2. Hiſtor: eccleſ. cap. 4.

Lib. 3. de vita S. Martini.

Tranſiit Oceanum, vel qua facit Inſula Portum,
Quaſq; Britannus habet terras, quaſq; ultima Thule.

Alii addunt Ariſtobulum, cujus in Epiſtola ad Romanos meminit Beatus Paulus, Britannorum Epiſcopum ab eo fuiſſe ordinatum. Alii Petrum, quem et Antiochiæ et Babyloniæ ſediſſe conſtat, etiam et in has oras perveniſſe fabulantur. Alii deniq; Philippum, alii Andræam, Britannos et Scythas, id eſt, Scotos, quo nomine Hiberniæ incolæ tum dicebantur, ad fidem Chriſti convertiſſe ſcribunt. Quorum omnium quod ſit veriſſimum, aut veriſimilius, ſtatuere, majoris operis res eſt, quam ut eam ſtatim animo capere poſsim. Illud certè conſtat, Evangelium Chriſti in hac terra, aliquot ante ſeculis, quam Patricius in mundum venerit, fuiſſe propagatum: quanquam alii, ducentis, non minus, poſt Chriſtum annis, hanc Hiberniæ converſionem factam fuiſſe docent: unde verſus illi:

Chriſti

Chriſti tranſactis tribus annis atq; ducentis Scotia Catholicam cœpit habere fidem.

Indeq; *Bozius* li: 8°. de ſignis Eccl: cap. 1°. tradit, in Scotia, quæ tunc erat Hibernia, Chriſti cultum diſſeminatum eodem tempore, quo in Britannia: ſub annum ſcilicet ducenteſimum tertium, *Victore Pontifice Romano*, rectiùs dixiſſet, *Zepherino*, tunc ſedente: et Turtullianus, qui illis ipſis temporibus vixit, in libro quem *Contra Iudæos* ſcripſit, Britannorum inacceſſa tum Romanis loca, Chriſto ſubdita fuiſſe docet. *Tertull: adverſus Iudæos cap. 7. et Pammel. in annotat. ib.*

Hector vero Boëthius inter Albienſes Scotos, Hiſtoriographus non ignobilis, Hiberniam ante tempora Conſtantini magni, qui anno trecenteſimo octavo poſt Chriſtum natum imperare cœpit, ad fidem converſam fuiſſe negat. *Iohannes*, etiam cognomento *Chryſoſtomus*, qui certis annis ante mortuus fuit, quàm Patricius in Hiberniam veniſſe potuit: de evangelio in Hibernia ſimul et in Anglia prædicato, honorificam admodum mentionem facit. *Britannicæ*, inquit, *Inſulæ extra hoc mare ſitæ: et quæ in ipſo Oceano ſitæ ſunt, virtutem verbi ſenſerunt. Sunt enim et illic Eccleſiæ, et altaria defixa:* neq; enim per Inſulas Britannicas, aut hic aut alibi aliud quam Hibernia, et hæc noſtra Albion intelligi omnino poteſt; nam, ut alia omittam, utramq; hanc Inſulam Britannicam antiquitùs appellatam fuiſſe vel exeo conſtat, quod Dionyſius, Author Chryſoſtomo longè vetuſtior, in libro de ſitu orbis verſibus deſcripto tradit, ubi ab Inſulis quæ ad ſeptentrionem ſunt orſus *Homil. Quod Chriſtus Deus?*

Βρεττάνιδες, inquit: i: *Duæ sunt, Insulæ Britannicæ:* quarum neutra, illa Armorica, quæ posterioribus seculis a Britannis, qui in ea loca a Maximino deducti sunt, Britannia minor appellari cœpit, censeri potest; cum et ea Insula, non sit, sed in Galliæ continente sita: nec sit usquam terrarum insula, præter Hiberniam quæ in hujus nominis disceptationem veniat.

Quicquid autem horum sit, falsum certè est, quod communi vulgi fabula antiquitùs receptum, inter mira ista nova et sacra Analecta, nunc locum sortiri meruit, Patricium illum primum in Hibernia Evangelii facem accendisse. Quid? quod multi viri pietate simul et doctrina clari ante Patricium in Hibernia fuisse perhibentur: Ailbæus, Declanus, Ybarus et Kiaranus. Sed et ante istos alii insignes Christianæ religionis professores in Hibernia floruisse memorantur. In quibus sunt illi duo, a *Iohanne Trithemio* celebrati: *Hildebertus*, quem Scotorum, id est, ut res ipsa loquitur, Hibernorum Archiepiscopum appellat, et *Sedulius Presbyter*, vir quidem ille doctus, et in sacris literis interpretandis exercitatus. Quid Dimnam Declani magistrum? quid alios Hibernicæ gentis homines memorem? qui omnes ante Patricium, in Hibernia Christum, vel piè coluerunt, vel doctè prædicarunt? vnde facilè iutelligitur, quantam tu, Analecta, huic genti facias iniuriam, dum eam, usq; ad Patricium, barbaram fuisse, nec Christianæ doctrinæ luce claruisse doces. Sed nihil vobis pensi est, quid de cæteris Hibernis, et vera hujus gentis gloria fiat, dummodò Patricio vestro, (quem ego suo tempore

In manuscript: Episcopi Midens: de vita Aubæi. &c.

Trithem: in Sedulio.

Dicto manuscripto.

re virum sanè pium magis quam doctum fuisse non dubito) immensas quasdam et fabulosas laudes, accumuletis ; dumq; cum primum Hiberniæ Episcopum, primum Archiepiscopum, Primatem, Patriarcham, unicum hujus gentis Apostolum, primarium fidei propagatorem, Thaumaturgum, et, quod Terræ filius ille, Tyræus Corcagensis modo dicere non dubitavit, novi Testamenti miraculorum monstrum fuisse stulto popello deprædicetis. *Panegyra de miracc: S. Patricij, edit. An: 1616.*

Possem et alia, sed ex hiis quæ dixi, liquidò, ni fallor, apparet, nihil esse, cur quis Patricium illum Hibernorum Apostolum fuisse dicat ; ac si ille primus gentem hanc religione Christiana imbuisset. Quisquis enim fuit, alieno certè fundamento, superædificavit, multóq; verisimilius est, ut Palladium in majorem Britanniam, ita Patricium in minorem, id est in Hiberniam, ad Hæresim Pelagianam, qua illo potissimum seculo universa ecclesia gravissimè affligebatur præfligandam, quam ad fidem Christi, tanquam antea in illis partibus inauditam prædicandam, vel sponte sua profectum, vel Cœlestini Papæ cura et studio fuisse missum. Nullum enim ecclesia Romana in Hibernia imperium, ac ne quicquam quidem, præter fidem Orthodoxam, cum ea commune, illa ætate, habuit : non ritus eosdem, non mores ; feriam quartam ut Græci, Ἀποκρεόπωμον : i : Carnispriviam, servabant : et ad effigiem ecclesiæ Orientalis per omnia, componebatur : cujus quidem rei testimoniũ locupletissimum ex Beda nostrate profero. Refert enim, Christi Anno sexcentesimo sexagesimo, id est, ducentos et amplius post Patriciũ annos, *Lib: 3. c. 13.*

Syno-

Synodum quandam in Britannia, mandato Regis Oſwifi fuiſſe convocatam; in ea Synodo gravis illa de obſervatione Paſchatis, quæ tot, jam antea inter eccleſias Romanam et Græcam turbas excitaſſet, ſuborta eſt quæſtio, et inter Colmannum Hibernum, et Wilifridum Saxonem, acerrimè agitata. Ea enim in re, Eccleſiæ Britannicæ et Hibernicæ, Græcam ſectando, a Romana conſuetudine, quam Saxo ille tum primùm inducere nitebatur, penitus diſſidebant. Quî igitur fieri potuit, quod toties nullo ſatis certo auctore decantatur, Cæleſtinum, ſua authoritate Palladium in Angliam, Patricium in Hiberniam, Archiepiſcopos nimirum futuros, miſiſſe, cum nec mores quidem, nec ritus Romanos ducentis et amplius poſt annis, in eadem alterutra receptos fuiſſe conſtet? Atquî notum eſt, Epiſcopos Romanos, poſt Victorem omnes, ubicunq; locorum, vel potentiam, vel gratiam nacti eſſent, acerrimè, de hac re, tanquam de religionis ſumma ſemper dimicare ſolitos: neq; enim cuiquam, in hiſtoriis quantumvis mediocritèr verſato, obſcurum eſt, Victorem Pontificem, circiter annum ſalutis humanæ centeſimum nonageſimum quintum, cò uſq; in hac ipſa contentione progreſſum eſſe, ut univerſis totius Aſiæ eccleſiis, reclamante licet Irenæo, et bonis omnibus temeritatem illam accuſantibus, nuntium remittere non dubitaret.

Euſeb: Hiſtor. Eccleſ lib. 5.

Itaq; Patricius cum è majori Britannia eſſet oriundus, potuit ille quidem, evangelii prædicandi ſtudio, in minorem Britanniam transfretari, Sed eo a Pontifice Romano, tanquam gentis illius Apoſtolum

lum primum missum fuisse, cum justo authore careat, tum nulla veri similitudine defendi potest. Veruntamen ne cui receptissimum errorem temerè damnasse videar, ipsum hujus Commenti originem aperiam: sed paucis; Inter alia igitur opuscula, quæ Patricio huic vel doctorum fraude, vel errore vulgi tribuuntur, illud unum et opinione et sermone hominum maximè celebratur, quod de *Antiquitate Avalonica*, inscribitur. Cuius inscriptionis ratio, quoniam a pleriſq; ignoratur, et ipse libellus rarò nunc legendus cernitur, magnum, nescio quid, et arcani mysterii plenum in se continere creditur: est autem libellus ipse, perexiguus; epistolæ modum non excedens, de ecclesia, quæ Glastoniæ in Anglia olim extructa cernebatur, compositus: ea autem priscis Britonibus Avalon dicebatur; Regis, olim, Arthuri sepulchro nobilis; atq; hinc libellus de *Antiquitate Avalonica* inscriptus legitur: cuius initium hoc est. *In nomine Domini nostri Iesu Christi. Ego Patricius humilis servunculus Dei, Anno incarnationis Christi quadringentesimo vicesimo quinto in Hiberniam a sanctissimo Papa Cœlestino legatus, Dei gratia, Hibernicos ad viam veritatis converti.* Quid? parumnè manifestò se prodit falsarii fraus? non enim illa omnino ætate, ab incarnatione Christi, sed vel Consulibus, vel Indictionibus, annorum ratio censebatur. Revolve enim, Analecta, omnium Imperatorum, quæ in Codice sive Theodosiano sive Iustinianæo continentur, vel rescripta, vel leges: omnia Consulibus data reperies: a Christo incarnato nullum; Quod si Pontificum, te magis, quam Imperatorum Ro-

Vide Anadem: in secunda editio. pa. 569.

manorum delectat authoritas; percurre, quæſo, et illorum; præſertim verò Leonis primi, qui hac ipſa ætate vixit, et poſt Cœleſtinum illum, ſecundus Romæ Epiſcopus ſediſſe dicitur, epiſtolas; nullam earum anno Domini, omnes Conſulibus ſignatas invenies. Æram enim Chriſtianam, hoc eſt, tempora a Chriſto nato dinumerandi rationem, quamvis laudatiſſima illa ſit, ſerò tamen, et non ante quingenteſimum triceſimum tertium poſt annum, a Dionyſio Exiguo inventam, multò vero ſeriùs, in rebus ſive publicis ſive privatis deſignandis, receptam et uſitatam fuiſſe liquet. Quid igitur apertius? quam quod libellus ille, quo *Patricius* veſter, a Cœleſtino in Hiberniam legatus fuiſſe fingitur, poſterioris ſeculi figmentum, et fabula haberi debeat? Sed audiamus et alia: *Avalonicam eum veniſſet, quoſdam, ibi fratres reperit*, nec ego id ita fieri potuiſſe nego: ſed quid tum poſtea? *Oſtenderunt*, inquit, *mihi præfati fratres ſcripta Sanctorum Phagani et Deriniani; in quibus continebatur, quod duodecim diſcipuli Sanctorum Philippi et Iacobi ipſam vetuſtam eccleſiam conſtruxerunt in honorem advocatricis noſtræ virginis Mariæ, per doctrinamentum beati Archangeli Gabrielis; inſuper et quod Dominus eandem eccleſiam cœlitus in honore Suæ Matris dedicaverat.* Quid? hæccine Cœleſtini? hæc ſancti Germani, quem annos octo et decem *Patricius Turonibus* in Gallia audiſſe dicitur? hæc deniq; illorum temporum doctrina fuit? Legite mihi Auguſtinum; legite Hieronimum; legite aliorum libros; quid in illis, huic tam prodigioſæ prudentiæ ſimile reperietis? aut quis tam ſimplex, ut hæc omnia

Helvic. in Syſtem. Chron.

nia Monachorum ſomnia, et deterioris ævi deliria eſſe non agnoſcat? Neq; vero adhuc ſubſiſtit inſania: ſed poſt multum, inquit, temporis *aſcendimus cacumen montis, qui eminet, in eadem Inſula: quò cum perveniſſemus, apparuit Oratorium; locumq; diligentiùs perſcrutantes, invenimus volumen unum, in cuius fine voluminis invenimus, quæ dicebat, quod prædicti Phaganus, et Derinianus per revelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti idem Oratorium ædificaverat, in honorem Sancti Michaelis Archangeli: quatenus ibi ab hominibus haberet honorem, qui homines in perpetuos honores, iubente Deo, eſt introducturus.* Addit et illud: *in eadem ſcriptura contineri, quod Phaganus et Dirinianus, perquiſiverunt triginta annorum indulgentiam omnibus Chriſticolis locum ipſum ad honorem beati Michaelis pia voluntate viſitantibus.* Iſta nimirum, qui animo, a nobis averſo, et perverſo legunt, quo magis inſulſa ſunt, et ab illorum temporum uſu aliena, eo et magis laudanda, et firmiùs credenda eſſe putant: qui vero non ea cæcitate ſunt, ut in montes, quod dicitur, offendant, illi dum iſta audiunt, facilè intelligunt, et Angelorum cultum, et indulgentiarum nundinas, ſeriùs multo, et oppreſſo demum a Papali tyrannide evangelio, in eccleſiam irrupiſſe. Sed hinc tamen originem traxit præclara illa de Patricij legatione fabula: quam cum veterum ſcriptorum aliquis ſemel arripuiſſet, Cæteri deinceps, ut eſt credula hiſtoriorum gens, in eandem ſententiam ita pedibus abierunt, ut mendaciſſimus rumor, jam pro certa Hiſtoria habeatur. Nam ſi quid ſit, quod in hiis rebus pro certo affirmetur, haud ſcio an quicquam certius aut ſtabilius exiſtimari debeat,

quam quod in ipsius *Patricij* confessione, sive *confessionis Itinerario*, scriptum legitur: opus certè, rudi stilo, magis quam ingenio compositum: in quo se non Romani Pontificis legatum, sed Proselytam, et in Hibernia profugum appellat: nec se a Sancto Germano edoctum fuisse venditat, sed rusticissimum se et indoctissimum agnoscit, id quod *ex suæ scripturæ saltua facilè intelligi posse* dicit. Deniq; se non a Cœlestino, sed a Cœlo ad Episcopatus munus vocatum fuisse docet: planè ut Romanam superbiam vel ignorasse vel contempsisse videatur. Vbi est igitur gloriatio tua, Analecta? Fidem Catholicam per Apostolicos Præcones Roma missos huic genti communicatam fuisse ais: illos Paganicam hujus gentis ruditatem et barbariem detersisse clamas: at unde probas? Iisdem nempe auctoribus traditur Patricium a Cœlestino missum in Hiberniam venisse, et cum venisset, omnium mortalium primum evangelium in eadem prædicasse. Si igitur hoc ex *Eusebio*, *Tertulliano*, *Chrysostomo*, et aliis locupletissimis auctoribus falsissimum esse comprobetur, quid ni et illud pari veritatis fide censeatur?

Sed demus Patricium huc a Cœlestino fuisse missum; quid ad rem? nam si inde Romanæ, quam nunc profitemini, religioni, aut rem aut gloriam acquiri putas, toto Cœlo erras Analecta. Alia nimirum erat illorum, alia vestra nunc est religio. Cœlestinus ille, si nunc reviviscceret, Romanam religionem, in ipsa urba Romana, non agnosceret; vestra, inquam, disciplina, vestra doctrina, vestra

ſtra religio, illorum temporum non erat. Etſi enim Cœleſtinum hunc poſt *Bonifacium* et *Sozimum* Pontifices, primum fuiſſe non negem, qui falſatis Codicis Nicæni tabulis, Romanam ſedem appellandi, jus aſtruere conaretur, Nondum tamen Monarchiam Eccleſiaſticam vel potius tyrannidem, detortis ſacrarum ſcripturarum verbis, Pontifices Romani ſibi vendicaverant, non Epiſcopos exteris Eccleſiis, irrequiſiti, dare, non cum rogati darent, eos Apoſtolos ſuos, nefario auſu, appellare cœperant, nedum quod Romanæ religionis nunc caput eſt et fundamentum, Reges et Imperatores in iudicium vocandi, damnandi, deponendi, vita pariter et Regno privandi, jus et poteſtatem ſibi divinitùs tributam fuiſſe prædicaverant: non iſta Romæ docebantur, non dicebantur, non cogitabantur, non inde in Hiberniam, ſive a Patricio, ſive a Palladio, ſive ab Auxilio, et Servino, quos ab eodem Cœleſtino, in auxilium ſancti Patricii miſſos fuiſſe fingitis, afferebantur: talem nimirum horum hominum doctrinam fuiſſe, credere par eſt, qualis Romanorum fuit; ea illis temporibus Romæ vera et recta erat: ad quam utinam aliquando, vos Hiberni, relictis ſuperſtitionibus, traditionibus contemptis, et calcata Romani Pontificis tyrannide, reverteremini, nos profecto jam non amplius vobiſcum colluctantes, ſed vobis in occurſum prodeuntes, et in veſtrum, dilecti fratres, amplexum cupidiſſimè ruentes, cerneretis.

Sed hiis conatibus ſemper obſtat importuniſſimus Analectes, quamvis enim talis nunc ſit Hibernia, qualem nulla hominum memoria, nulla temporum hiſtoria, nulli annales eam olim fuiſſe prodiderunt, tranquilla, pacata, tuta, agrorum culturæ dedita, a mutuis cædibus et bellis libera, opificiorum, artium, literarum, magis quam contentionum et armorum cupida, eam tamen ille, a veteri ſua gloria, tanquam de cœlo Luciferum, cecidiſſe clamat: nec ullum ad priſtinam fortunam regreſſum ſperari poſſe vociferatur, niſi tota res Anglorum manibus erepta, Romanæ religionis regimini relinquatur. *Pa.* 151.

Atq; hæc vel ut turbulenti hominis vox reprehendi, vel ut temulenti, rideri poſſet: dum vero leges Anglicanas cum Papalibus comparat, in apertam blaſphemiam ruit. *Etenim*, inquit, *quod a ſanctis patribus obſervatum eſt diſcrimen, inter legem veterem, in monte datam, cum igne, tonitru, fulmine, ac legem novam in urbe trãditam, cum linguis igneis, ſono, et motu terræ, quod illa deſertos et incultos reliquit; hæc vero homines cultiſsimos effecit: illa metu mortis acceſſum remorata eſt, hæc in virtute Dei operantis per locutionis energiam attraxit ex omni natione populos, qui parati obedire, dicerent, Quid faciemus, viri fratres? ad deſignandum per veterem legem, homines iniquiores fieri, et remotiores a Deo, per novam, vero reddi coniunctiores. Idem ferè diſcrimen detegitur, inter leges Anglicanas, quas nunc obtinet, et illã Romanæ diſciplinæ normam: qua ſe facilimè imbui patitur Hibernorum natio; cum ab iſtis, eo potiſsimum modo, quo nunc traditur, incredibile dictu eſt, quantum abhorreat.* *Pa.* 161. *et* 162.

Hæc

Hæc tua, Analecta, vox eſt, hic tuus ſermo: quo, quid magis ad divinæ maieſtatis et oraculorum eius læſionem, impiè et nefariè a te dici potuit? Attendite vero Hiberni, attendite inquam, et conſiderate, et huic præceptori inventutem veſtram in diſciplinam tradite. Per veterem, inquit, legem homines iniquiores fiunt; et remotiores a Deo. Audi vero, Analecta, quid contra te Moyſes: *Si audieris*, inquit, *vocem Domini Dei tui, ut facias atq; cuſtodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra: videbunt q; omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum ſit ſuper te; et timebunt te.* Quid? an homines deſertos, incultos, barbaros, a Deo remotos, et cæteris omnibus iniquiores, cunctis gentibus quæ verſantur in terra, excelſiores facturus erat Deus? Ad exempla venio. Quid de Ioſua? quid de Gedeone? Iephta? Sampſone, ducibus ſtatuendum putas? Hoſnè tu Principes, qui ſub vetere illa lege ad tam excelſum gloriæ culmen, et faſtigium pervenerunt, cum barbaris ô *Tobilorum*, ô *Roriciorum*, et ô *Neilorum* familiis et ſectis comparare audes? Rectè quidem Auguſtinus, contra adverſarium legis, et Prophetarum, *non ſoli*, inquit, *Manichæi legem Prophetaſq; condemnant, ſed et Marcioniſtæ, et alij*; quibus olim ad inferos cum ſua inſania damnatis, hoc nunc demum ſeculo prodiit, ignoti quidem nominis, ſed Romanæ factionis, Analectes, non ille legis adverſarius, ſed hoſtis appellandus, illud ore ſacrilego in legem auſus, quod nec Manichæum, nec Marcionem, nec Priſcillianum vnquam cogitaſſe conſtat; homines nimirum

nimirum per legem Dei, a Deo remotiores, et iniquiores fieri affirmat : ò portentum, non solum a nostris auribus, sed etiam a Christiani orbis finibus arcendum: et hic tamen se Catholicum appellat: quid autem est hæresis, si hæc non sit? aut quid est religio, si hæc blasphemia non sit appellanda? vtinam Augustine viveres, ut post Manichæum, Marcionem, Priscillianum, et alios tuo stilo confixos, tuo eloquio refutatos, tua deniq; sententia, et judicio damnatos, hunc etiam Analecten, nullo modo cum priscis illis ingenio et acumine comparandum, stupore tamen et animi cæcitate, omnibus omnium ætatum hæreticis præferendum, tanquam renascentem hydram gloriosæ tuæ vocis clava contunderes. Sed videte hominis insaniam, legem Anglicanam veteri, id est, Mosaicæ legi comparat : ut illa metu mortis accessum remorata erat, *Ita*, inquit, *ab istis legibus Anglicanis, incredibile est, quantum abhorreant Hiberni.* Benè est, Analecta, quod cum Anglorum in Hibernia imperium, apud Imperatores, Reges, et Principes, contumeliis et maledictis onerare studeas, non aliter id possis, quam legem nostram cum divina comparando : vtrumq; nimirum indignis conviciis et contumeliis laceras, Sed hanc apertiùs: quam veluti nostræ illius Ἀρχελυτρὸν, vitæ incultioris, nec incivilis modo, sed etiam nefariæ et a Deo remotæ conversationis causam esse, magno tuo crimine, et magno animæ tuæ periculo, affirmas. Vt autem legi veteri nostram, ita novæ Romanam comparas: dubium utrum majore scelere, nam ut in illo plus malitiæ cernitur, ita in hoc superbiæ : quarum illa Satanam deturbavit è cœlo, ista primos parentes

tes nostros expulit è paradiso. Atq; utinam Analectes iste patrias leges violasse contentus, a Regii saltem nominis iniuria se abstinuisset. Gravem enim et iniquam Hibernorum conditionem, esse queritur. Cur ita? quoniam, inquit, *Turca nostræ religioni certis conditionibus libertatem tribuit. Nobis vero sub* Pa. 170. *Principe nostro (pio si placet et pacifico) cum professione fidei nostræ degere non licet.* Vt elegans es? ut improbus Analecta? *Sub Principe* inquis *vestro, pio, si placet, et pacifico:* certè pius ille et pacificus, et si pacem, pietatem, prudentiam spectas, suæ ætatis verè Salomon appellandus. Quid enim? an pacem et pietatem colere non possit, nisi cum vestris furoribus societatem et fœdus ineat? Cur igitur, inquis, nobis non concedit Rex, quod concedit Turca? Ideo, inquam, concedit Turca, quod Turca sit, et ideo non concedit Rex, quod Christianus sit. At multi Principes Christiani hoc ipsum ab eo petierunt. Credo: sed æquum est, ut illi prius in suis ditionibus religioni nostræ locum præbeant, quam suæ in nostris lautiam præberi postulent. Quid enim iniquius, quam id ab alio ut fiat petere, quod ipsi ut facias rogari nolis?

Sed esto: nulla prece Rex movetur, at pretio moveri debuit: *Pretium igitur*, inquis, *etiam supra facultates nostras solvere parati sumus.* Et Rex quidem hanc fortasse conditionem non abnueret, nisi se Regem esse meminisset. Tum quidem verè diceres, hoc *vectigal religionis, et conscientiarum Lytron esse.* Sed pecunia tua tecum sit in perditionem Analecta; quia falsæ religionis usum a sanctissimo Rege, et Apostolicæ fidei defensore vnico, pretio emi posse credidisti.

At etiam *cautionem de fidelitate vestra exponere parati estis*. Credò quam? nam si pignoratitiam, nulla satis idonea præstari potest: si fideiussoriam, tantumdem egeris: Sin iuratoriam; est quod audiamus: Immo, inquis, iuratoriam cautionem præstare volumus. Quid ni igitur iuramentum fidelitatis, conceptis verbis in Anglia editum deposcitis? iustum enim illud iusiurandum et iustam eam fidelitatis suæ cautionem esse, qui non pessimi generis in Anglia sunt Romanistæ non negant: multi etiam sunt, qui eandē libentissimis animis præstiterunt; præstitit Blackwellus, præstitit Witheringtonus: qui etiam ea de re, tum suo tum aliorum nomine ad Papam scripsit: et ab eo multis precibus et validissimis rationibus contendit, ne Catholicis in Anglia commorantibus, in mora esse vellet, quo minus iustissimum illud fidelitatis suæ sacramentum Regi suo præstare possint. Cumq; postea et se et scripta sua a Cardinalium Collegio damnari comperisset, rursus ad Papam eadem de re scripsit: quo in libro cum alios Cardinales, tum præcipuè Bellarminum, quem præ cæteris huic iuramento adversari intellexerat, iustissimis rationibus refellit: quamlibet Ecclesiæ censuram pati, quam tam iustum iuramentum, si deferretur, recusare paratus: neq; vero meliores modo in Anglia Catholici, sed etiam vniversa fere Galliæ natio, nostram illam fidelitatis cautionem, ut iustam et ligitimam, et suæ religionis Principiis non repugnantem, suo iudicio comprobavit. Cumq; Suaresius Iesuita Hispanus, contra huius iuramenti formulam librum edidisset, Senatus Parisiensis, quia autorem non potuit, librum ipsum Carnificis manu concremari iussit. Quid ni igitur,

Supplica: ad Paul: quint. An: 1616.

An: 1614. 27 Iunij.

tur, et vos Hiberni, hanc fidelitatis cautionem, sereniſſimo Regi alacri ſtudio offeratis? Plus enim hæc fidelitatis ſponſio, quam aut pretii oblatio, aut omnium Imperatorum et Regum interceſſio ad animum Principis flectendum faceret. Atqui vobis dilectiſſimi Hiberni, ſi importuno huic Analectæ, ſi Ieſuitis, ſi aliis Romani Pontificis Satellitibus, aurem præbueritis, tam fidelibus eſſe non licebit. Nam ſi fideles in Principem eſſe vultis, a Religione Catholica deficere vos, et ſaluti veſtræ renuntiare docent. Hoc docet Suarezius, hoc Bellarminus in ſuo Torto; cuius doctrinæ cum ipſe Primarius ſemper author fuerit, eius tamen pudorem, qua potuit, ſemper declinare concupivit. Hinc eſt, quod ſub Franciſci Romuli nomine, adverſus Apologiam Catholicam, in Gallia olim, pro ſucceſſione Henrici Navarreni in Francorum regno editam, librum facinoroſiſſimum emiſit. Hinc quod ſub Adolphi Skulkenii titulo, in Witheringtonum noſtratem acerrimè invehitur: hinc deniq; quod Torti neſcio cuius pelle indutus, Apologiam Regiam et hanc ipſam fidelitatis formulam nefario ſcribendi genere impugnavit. Sed ut Galli Suarezium flammis addixerunt, ita Reverendus ille in Chriſto Pater, Lancelotus, tunc Epiſcopus Ciceſtrienſis, nunc vero Wintonienſis Eccleſiæ Præſidens, vir, in tam provecta ætate, adoleſcentis ſemper ingenij flore, et perpetuo, quaſi, vere fretus, tanquam Cerberum alterum, ab inferis extractum, et ſub ipſo Bellarminj nomine auras ſuperas ſpectare iuſſum, ita debilitavit et confregit, ut nunquam poſtea ſe movere, nunquam vultum attollere, nunquam vel ſuo, vel alieno nomine verbū in ea cauſa addere auderet.

W. Barclaus de poteſtate Papæ.

Appendix ad ſupplica: ad Paul: quint.

Lancelotus Epiſcopus W.ton:

Quanquam hac in re nihil est, cur peregrina exempla requiramus, cum domesticis abundemus. Vestra enim, id est, vestrorum in Hibernia Sacerdotum scripta extant, quæ sacramentum fidelitatis, salva conscientia, salva Religione, salva in Pontificem Romanam fide Regi nostro præstari posse negant, et in isto scribendi genere, omnes Bellarminos, omnes Suarczios et Marianas superant. Vidi enim, et in manibus nunc habeo, infamem quendam libellum ante quinq; annos compositum, et inter alias Thomæ Giraldini, ebriosissimi Sacerdotis, non ita pridem defuncti chartulas repertum, cujus ea est inscriptio : *Monitorium ad Catholicos in futuro Parlamento congregandos.* In quo nihil ferè, quod ab aliis unquam, vel Sacerdotibus vel Iesuitis contra Regum et Principum salutem excogitatum fuit, omissum esse confirmo. *Pontificem*, inquit, *Romanum directè in Reges nihil posse fateor : indirectè tamen, et in ordine ad spiritualia eum in Imperatores et Reges ius habere contendo. Quid enim?* inquit : *An non lepra percussum, Sacerdos olim Castris emovere potuit? Iehoiada Episcopus*, (videtis quam appositè) *an non Athaliam, tyrannide se se efferentem, interemit? Divus Ambrosius, quid? an non Theodosium sacræ communionis exortem fecit? et legem ab eo latam vim obtinere vetuit?* Deinde ad Romanorum Pontificum facinora descendit : *Gregorius*, inquit, *secundus, Leonem Iconomachum : Zacharias Childericum Gallorum Regem : Gregorius quartus, Henricum quartum, Innocentius tertius, Othonem quartum, Quartus, Fredericum secundum, regno exuit. Quæ omnia, non ideo*, inquit, *ane dicta esse velim, ut Apostolicum pastorem ad simile quid in Regem nostrum*

nostrum statuendum incitem, sed ut ostendam, quam sit hoc vobis, vestræq; saluti periculosum, eo vos sacramento astringere; quod tot tamq; manifestis exemplis apertissimè repugnet: accedit eodem inquit, *quod doctrina ista nostra Theologorum omnium calculo comprobatur. Conciliorum generalium decretis stabilitur: ab universo demiq; Catholicorum grege certissima fide confirmatur: et vos,* inquit, *eam tanquam hæreticam et impiam damnare audebitis? aut Reges a Romano Pontifice deponi non posse affirmabitis? fingite tamen vos iuramentum illud per infirmitatem præstitisse: quomodo,* inquit, *Pontifici Romano, vos a Sacramento illo absolvendi ius esse negabitis? cum eum omnia in cœlo et in terris ligandi pariter et solvendi potestatem habere non dubitatis; proinde caveant,* monet, *ne huic fidelitatis iuramento futuris comitijs sanciendo consensum præbeant.* Itaq; ut dixi vobis, Hiberni, si sacerdotibus vestris, et Romanæ aulæ veneficis aurem præbueritis, in Regem vestrum fidelibus et piis esse non licebit.

Sed ad Analecten redeo, et quid sit illud, quod offerat et spondeat cautionis scire cupio: *Vna,* inquit, *vice pro omnibus, vovemus, spondemus, et efferimus, quicquid illud sit, quod Christiani subditi alibi præstiterunt, quod prævaricationem non contineat, et recessum ab instituto religionis nostræ, a iure gentium, et lege naturæ, de cæteris quæ imperata nobis fuerint, fideliter morem geremus.*

Ergo Pontifici Romano in Regem jus esse juratus nega: Teq; ab hac tam pia, tam justa jurisjurandi religione, nulla Pontificis illius vestri authoritate solvi posse, Deo in testem vocato, tactisq; et inspectis sacrosanctis evangeliis, piè, purè, et ex animi tui

ſententia confirma. Hoc enim Chriſtiani ſubditi antehac fecerunt, hoc nullo gentium, nullo naturæ jure facere prohiberis. Sin tu hanc fidelitatis formulã prævaricationem continere putas; eamq; Sectæ veſtræ inſtitutis adverſari credis, ſatis conſtat, ea eſſe religionis et ſectæ veſtræ inſtituta, quæ abſq; regni huius pernitie, et certiſſimo Regis exitio, in eadem tolerari nequeant.

Neq; vero tu has nobis tam fallaces et ridiculas conditiones conſcriberes, et vix pueris dignos ambages et fraudes necteres, niſi aut tu ipſe parum eſſes prudens, aut nos tardiores eſſe crederes. *Quod alij præſtiterint. Quod prævaricationem non contineat, et receſſum ab inſtituto religionis veſtræ.* Quin tu juramentum illud fidelitatis (quod ſit noſti) Hibernis omnibus præſtandum eſſe, aut apertè dic, aut tace; nec per has tuas ineptias nobis illudi poſſe ſperes.

Audiamus vero et alteram Analectæ huius conditionem, quam ut omnium æquiſſimam, nullo modo recuſandam eſſe putat: *Sin autem*, inquit, *quiſpiam ex numero noſtro nobiſcum diſſentiens, in hac noſtræ proteſtationis et ſponſionis ſubſtantia, ſe præbere filium Belial, aut inconſulta temeritate, vel perturbata mentis præcipitantia, commoveri vellet, ad impia, vel indigna contra Regem, aut Prolem Regiam, aut legitima Regni iura, aut contra publicam pacem audenda: quod non dubitamus eſſe nobis illicitum, ſi nobis quidem fas eſſet foro uti, et publicum adire tribunal, aut nobis ipſis concederetur illa iuaicij ſeveritas, quam ſacri Canones et Concilia ſanciunt, adverſus Rebelles et ſeditioſos, eam impigrè exequendam curaremus.*

Ego

Ego verè te Analecta jamdudum desipere putabam, nunc prorsus insanire video: non solum publicum Tribunal adire ut liceat, sed etiam de rebellibus et seditiosis hominibus iudicium vobis in Hibernia permitti æquum esse putas. Itaq; Clodiis mæchos, Catilinis Cethegos, prædones latronibus, proditores et Rebelles Iesuitis et Sacerdotibus, qui Regnorum omnium furiæ sunt, et faces, iudicandos, te postulante, committemus. Non possum tamen quin tibi demulceam caput, Analecta, propter istam quam spondes in iudicando iuxta Concilia et Canones diligentiam. Ille modò metus est, ne Latrones et Parricidæ, Rebelles et seditiosi, omni fera agrestiores cum sint, leuiusculis illis Canonum vestrorum clathris non satis coerceri possint: satis superq,, inquit: nec est cur metuatis: *Ipsi enim agrestiores Hiberni liberè pronunciant plus se terreri a furto, latrocinio, rapina, incendio, homicidio, per Sacerdotum nostrorum censuras, quam per sententiam Iudicum Capitalium: plusq; formidare interdictum ecclesiasticum, quam suspendium:* ô mira, ô sacra, ô nova Analecta: ô singularem et insignem Analectæ amentiam: ô stultitiam, Imperatori et Regibus, et exteris Principibus commendandam. Quasi vero, aut æquum esset, incendiarios, et fures, suo, non Magistratus arbitrio puniri; aut talia dicenti quisquam latroni crederet. Et tamen, *non aliud*, inquit, *scimus quid in hac re offerre possumus*, credo. Sed quid si in illis ipsis iudiciis parum fideliter versari reperiremini? quid tum fiet? *libenter*, inquit, *transgressorem debito supplicio, secundum iura Regni, plecti pateremur.* Sanè, Analecta: velitis, nolitis patiemini. Tu vero interim vale,

et

et hac insania tua fruere: nam quod ad maledicta attinet, quibus religionem nostram ad Turcismum, et Atheismum ducere affirmas, non aliud tibi respondeo, quam quod Archangelus respondit Sathanæ: *Improperet tibi Deus*, Analecta.

(˙·˙)

Sit Laus Deo.

FINIS.

REGIMINIS ANGLICANI IN *HIBERNIA* DEFENSIO

aduerſus Analecten.

LIBER TERTIVS.

ET ſi quæ hactenus ab Analecta dicta ſunt omnia, nihil aliud ſint quàm maledictorum ſtrues, & fœdiſſima mendaciorum moles, quam nulla aut fide aut verecundia, aduerſus Anglicanum in Hibernia imperium, & Rei tam Ciuilis quàm Eccleſiaſticæ adminiſtrationem nequiſſimè congeſſit; tamen veluti ſi aliud hactenus egiſſet, ita nunc demum *de mera effigie miræ adminiſtrationis & regiminis, tam eccleſiaſtici quàm politici, in Hibernia*, dicturum ſe eſſe profitetur: Atque vtinam ſe intra hos, quos ipſe ſibi præſcripſit, fines & limites continuiſſet; eſſet enim profectò, vt hactenus, inter me & illum ciuilis planè, & qualis inter ciues & ſo- Pag. 173.

cios de rebus ad ſalutem communem pertinentibus diſſentientes, eſſe ſolet concertatio : Nunc verò, cùm Maieſtatem regiam non leuiter perſtringere, ſed apertè violare, & Coronam ipſam Regio capiti detractam, Romano Pontifici per ſcelus tradere, & prodere contendat, vereor, ne quis ſolitam meam ſcribendi rationem, & ingenitam animi moderationem, inertiæ neq; ignauiæque condemner, meque haud quaquam pro officio facere arbitretur, ſi tam apertum hoſtem, tanto cum impetu, in Regem irruentem, iuſtis rationibus repulſſe contentus, vltrò eum meritis conuitiorum telis obruere, & iuſtiſſimæ orationis ſtilo conficere, non aggrediar. Nec ego, ſi rem, ſi cauſam ipſam, ſi hominis meritum ſpectem, ita prorſus faciendum eſſe negare poſſem : ſed noui cuius illud ſit, *Mihi vindicta, ego rependam*, inquit Dominus : Itaque vindictam omnem de eo ſumendam, Deo primùm, cuius Numen ita ſæpe lædere, deinde Regi, cuius Maieſtatem tam nefariè violare, poſtremò & legibus ipſis Hibernicis, quarum authoritatem & aciem in omni cauſa tam licentèr infringere non dubitauit, libentiſſimè relinquam : Et ipſa eius mendaciſſima conuitia, non mutuis opprobrijs, ſed iuſtiſſimis rationibus, diuina mihi ſemper adſpirante gratia, refutabo.

Meram igitur, vt ait, *effigiem mirę rerum in Hibernia adminiſtrationis* deſcripturus Analectes, Catholicorum afflictionem, Suſannæ anguſtijs aſſimilari dicit : *Cùm enim*, inquit, *in cauſa religionis, non poſſunt indigenæ ſe accommodare voluntati Regis, niſi læſa Maieſtate Dei, & Eccleſiæ authoritate diminuta, conſtricti Suſannæ anguſtijs, inter Deum & hominem, inter*

inter cœlum & terram, inter diuinum & humanum iudicium, velut equuleo distracti, & subacti fidiculis, gementes & suspirantes coguntur exclamare, cum sanctissima illa fœmina, Angustia sunt nobis vndique: Si enim hoc egerimus, mors nobis est; si autem non egerimus, non effugiemus manus vestras. Pag. 174. Ista quidem verba sunt, Analecta, quæ tu pro solita tua liberalitate lectoribus dare soles; dum sacrosancto Dei & venerando Ecclesiæ nomine, ad metum timidis, & fraudem imperitis faciendum abuteris: Dum enim iniquissimam Romani Pontificis causam agis, Dei & Ecclesiæ nomen semper in partes vocas, vt si quis Romanam Tyrannidem oppugnet, diuinam simul maiestatem lædere, & Ecclesiæ, id est, castissimæ Christi Sponsæ, thorum violare, populo videatur.

Nam quod ad Susannam attinet, quid habet vestra hæc, cum sanctissimæ illius fœminæ causa, commune? quid vestra perfidia cum illius innocentia comparandum? aut quæ duæ res inter se magis impares, & dissimiles cogitari possint? Illa enim ad libidinem alienam deposcebatur: vos ad officium proprium reuocamini: fidem illa marito datam violare noluit; vos Regi vestro, vel quam dedistis frangitis, vel omninò dare recusatis: Iudices illa, ad praua suadentes audire noluit; Magistratum vos ad recta consilia hortantem contemnitis: illi denique, quo nihil miserius, atrocissimi criminis non à se admissi, sed ab accusatoribus confecti iudicium subeundum erat: vobis nullæ angustiæ sunt, nisi quarum vos ipsi causa estis; omnia volentibus expedita, facilia, plana; potestatem à Deo constitutam agnoscite,

ſcite, Regem veſtrum honorate, externo Domino nuntium remittite, nec vobis vltrà, Iudicum tribunalia, magis quàm ſuæ cuiuſque domus, ſcamna & ſedilia metuenda eruut. Sed vetus hoc eſt aucupium, & à vobis millies iam viſitatum: notæ, inquam, ſunt artes, & nos ampliùs non poſſunt fallere. Hibernos certè in Hibernia, in certas quaſdam, non quidem illis, quas memoras, Suſannæ ſimiles, ſed tamen ſatis difficiles, & quàm vellem graviores, anguſtias incidiſſe non nego: ſed illud nunc quærendum reſtat; noſtronè, an ſuo; Regis noſtri, an Pontificis Romani; legum denique noſtrarum, an Imperiorum Papalium vitio, huius illorum calamitatis & miſeriæ cauſa aſcribi debeat: nam ſi Rex noſter ius ſuum tuetur, Pontifex Romanus affectat alienum; ſi nos Regem noſtrum defendimus, illi externum inducere conantur; ſi leges noſtræ & maieſtatem regiam & ſalutem libertatemque noſtram conſeruant, decreta verò papalia, calcatis legibus, oppreſſa Repub. & ſpretis legitimi magiſtratus Imperiis, externi Domini iugum noſtris ceruicibus imponunt, profectò hanc quantam quantulamué calamitatem ſuam, non nobis Hiberni, ſed ſibi, ſed Pontifici ſuo, ſed iniuſtæ illi, & nefariæ Romanæ ſedis ambitioni & tyrannidi aſcribere & imputare debent.

Reſp. ad calumniam de Regis Pontificatu.

Ipſam igitur nunc inter Regem & Pontificem diſcrepantiæ, & diſſenſionis originem & cauſam diligentèr ſi placet, conſideremus: Eam verò (vt cætera eius conuitia, & impuri oris vomitũ omittam) ſic contexere orditur Analectes: *Quemadmodum*, inquit, *Iulianus, ſeſe Paganorum Pontificem ſolebat nominare,*

nominare, ita subditorum suorum Dialis & Pontificalis Princeps, ac sacrorum omnium, veluti Archiflamen cum pleno & absoluto Primatu ecclesiastico, in suis ditionibus & dominijs Rex Britanniæ celebratur a suis, & pleno ore deprædicatur. Pag. 179. Ingens mendacium: quis non videt? quis enim vnquam vel sanctissimum Regem, qui nunc rerum potitur, vel Henricum illum octauum, subditorum suorum, vel Dialem Flaminem, vel Pontificalem Principem, vel sacrorum Archiflaminem appellari audiuit? nemo: profana enim hæc sunt nomina, & non solùm à Regum nostrorum pietate aliena, verumetiam populi huius, euangelico lacte enutriti stomacho penitus aduersantia. Sed audiamus & alia: *Nam profligata, inquit, iampridem omni legitima authoritate sedis Apostolicæ per Herculeum illum Henricum, qui nouum & inauditum antè flaminatum sibi constituerat: quotquot deinceps ei successerunt in illa vsurpatione, suos habere subflamines gestiebant: vt pari plenitudine authoritatis, regerent habenas vtriusque potestatis, tam ecclesiasticæ quàm politicæ, ac si eodem iure niterentur: cùm tamen ecclesiasticæ dignitatis apex, Christo prærogante desenderet de cælo, & cælica designatione attributa Petro fuerit, eiusque legitimis successoribus.* D. Pag. 179.

Hæc est nimirum, quæ apud Analecten reperitur causæ narratio, hæc origo discrepantiæ, hæc summa vniuersæ religionis, vt vult, differentia; E qua tollat mihi velim æquus & beneuolus lector mendacia illa & odiosa, Dialis, Flaminis, Archiflaminis, & alia si quæ sint eius generis nomina; & vt rerum nuda veritas appareat, diligentèr inquirat, an Reges aliquando nostri, ecclesiasticis titulis & in-

ſulis inſigniri: an mitram pedumque geſtare, an denique ſe Sacerdotes, Presbyteros, Epiſcopos, ſalutari voluerunt. Nam ſi nihil horum in illis reperiri poteſt, ſatis quidem apparet, cætera illa non noſtra crimina, ſed Analectæ ſcelera, & illius maledicentiæ pignora eſſe & argumenta. Sed rem potiùs quàm nomen ſpectandam eſſe dicet fortaſſe Analectes: Nihil recuſo: Rem igitur ſpectemus: In qua diſpicienda, ne qua fortè nubecula ex turbida cauſarum confuſione ſuborta, viſum auferat, cauſas ipſas dimidam, & in clara luce videndas conſtituam.

Duo igitur ſunt rerum genera, in quibus omne Epiſcopi, vel quod quibuſdam amplius quiddam & maius ſonare videtur, Pontificis dignitas & officium contineri putatur: quarum aliæ ad Ordinem, aliæ ad Iuriſdictionem pertinent. Ad Ordinem ſpectant, euangelium prædicare, baptiſmum conferre, ſacris ordinibus initiare, euchariſtiam celebrare, clauium poteſtas, & ſimilia: hæc enim ita propriè ad Sacerdotis munus & officium de iure diuino pertinent, vt nec ab eo diuelli, nec cum alio communicari poſſint. Doce igitur, Analecta, vel Henricum octauum, quem Herculem, & Pellitum Clauigerum, verè quidem, quantumuis per ſtomachum appellas: (Inuicta nimirùm animi ſui conſtantia, & ſuorum ſtudio, pro pelle Leonis, & Claua fretus, Romanam Hydram ita contudit & confregit, vt facilem de ea victoriam poſteris relinqueret.) Doce, inquam, vel Henricum illum, vel Edwardum filium, vel Elizabetham filiam, vel ſereniſſimum Regem Iacobum noſtrum, non dicam baptizaſſe, ſed quicquam eorum, quæ ad ordinem Sacerdotalem de

de iure ſpectare exiſtimantur, vel tractaſſe, vel extremis, quod dicitur, digitis attigiſſe, concedam eſſe crimen. Verùm enim verò, tantum facinus nunquam, aut in Principis, aut in populi mentem intrauit, vt eam poteſtatem legitimis verbi miniſtris ademptam, vel hic conferret, vel ille, ſi à populo delata fuiſſet, acceptaret. Ipſum enim Parliamenti decretum, quale eſt? nempe, *Actus, ordinatio, ſtatutum, quo reſtituitur antiqua Iuriſdictio ſuper ſtatum eccleſiaſticum; abolendo omnem forinſecam poteſtatem eidem repugnantem.* Percurre Analecta, & reliquam huius ſtatuti, & ordinationis ſeriem. Nihil in ea, ac ne in ipſa quidem iuramenti præſtandi formula reperies, quod ius & poteſtatem Principi quicquã eorum quæ ordinis Sacerdotalis ſunt, tangendi tribuat: Sed Iuriſdictionem in rebus & cauſis Eccleſiaſticis, tot iam annos Romani Pontificis tyrannide occupatam, Coronæ, vt ius, faſque eſt, reddit, & reſtituit.

Ergo, inquis, pari plenitudine authoritatis regunt habenas vtriuſque Poteſtatis, tam eccleſiaſticæ, quàm politicæ: ac ſi eodem iure illæ niterentur. Ita planè res eſt, Analecta: Iuriſdictio eccleſiaſtica & ciuilis eodem iure nituntur: vtraque ad Imperatorem, vtraque ad Regem, vtraque ad ſummum, in omni Repub. magiſtratum tanquam hominem à Deo ſecundum & ſolo Deo minorem pertinet: nec illi propterea, Diales, Flamines, aut Pontifices appellari debent. Quod ne tibi Anelecta, qui rerum minimarum magnus ſemper admirator es, vel alij cuiuis, aut mirum, aut nouum videatur, rem ipſam manifeſtam dabo. Faciam, inquam, vt vel inuitus fateare,

fateare, quòd ſiue res, ſiue perſonas, ſiue ritus & ceremonias, ſiue forum, & cauſas eccleſiaſticas ſpectes, nihil in ipſo Iure Canonico ſancitum reperiri poſſit, quod non multò antiquiùs in iure ciuili per Imperatores & Principes Chriſtianos magna cura, magnis vigilijs, & cultus diuini ardente zelo fuerat conſtitutum. Neque tamen quicquid vbique ab Imperatoribus Chriſtianis, aut etiam ab alijs Regibus de rebus & cauſis eccleſiaſticis ſtatutum fuit, id omne nunc in medium afferre ſtatui: maioris enim hæc operis res eſt, quàm vt in hoc ſcribendi curſu expediri poſſit. Sed rerum tantùm Capita attingam; & ad fontes, quod dicitur, digitum intendam, vt Regem noſtrum nihil nouum, aut inſolens in Eccleſia moliri, nec occultos tramites ſectari, ſed via recta, & à Chriſtianis Imperatoribus & Regibus iam olim trita incedere oſtendam.

Iamprimùm quis eſt qui neſciat, Romanos Pontifices Epiſcoporum electiones, tanquam ſui iuris rem, multos iam annos ſibi vindicaſſe. De quibus tamen multo priùs ſtatuerunt Imperatores, Leo, & Anthemius; ſtatuit & Iuſtinianus, per quos eligi, ſub quo iuramento debeant, quæ vita, qui mores, quis conuerſationis ordo; quæ ætas, qualis conditio, in electo requiratur; ſi qui eligendi ius habuerant, infra ſex menſes non elegerint, ad quem deuoluitur eligendi ius: Si quis præter formam in iure traditam electus fuerit, quæ pœna & eligentes & electum maneat. Hæc enim omnia ad Dei gloriam, & animarum ſalutem in iure ciuili primùm ſtatuta reperiuntur, & vt alia à iure Canonico in morem longè deteriorem poſtea mutabantur.

Cod. de Epiſc. & Cler. l. 31.

Authent. de ſanctiſſ. Epiſcop. ca. 1. & ca. 3.

Cod. de Epiſc. & Cler. ca. 48.

Infinitus

Infinitus sim, Analecta, si quæ in hoc genere ab Imperatoribus statuta sunt, singula percurrere & percensere vellem: Itaque ad alia huius generis exempla non tractanda, sed tangenda venio: Notissimæ famæ res est, quanto molimine contendat Romanus Pontifex, Clericos omnes suæ Iurisdictioni subiectos, à Principum vero imperio exemptos, & eorum legibus solutos viuere. Itaque in iudicijs Clerici, interdum respondere iussi, silent: interdum se coram non Iudice constitutos esse prædicantes, liberè mentiuntur: nec si peierant, peccatum esse putant. Ius tamen Imperiale, in crimine ciuili, à ciuili magistratu eos puniendos esse docet: & Ecclesiasticis, insuper censuris & pœnis ex causa coerceri mandat: *Presbyteri*, inquit, *seu Diaconi, si falsum testimonium perhibuisse conuincantur, si quidem in causa pecuniaria à diuino ministerio, duntaxat per tres annos, separati, Monasterijs pro tormentis tradantur: Sed si in criminali, clericatus honore nudati, legitimis pœnis afficiendi sunt.* Et rursus: *In Ciuili*, inquit, *crimine Ciuilis præsit Iudex: nec tamen puniatur, etiamsi reus sit inuentus, priusquam per Episcopum Sacerdotio spolietur.* Quid ego hic de Clericorum in suis Ecclesijs descriptione? numero? ordine? cultu? disciplina? quid agere? à quibus abstinere? sub quorum præmiorum spe, quarum pœnarum metu, debeant? quid de tota Monachorum & virginum sacratarum ratione dicam? profectò enim si quales in Iure Ciuili esse iubentur, tales viuerent, non posset non esse fœliciſſima illa Respub. in qua tot viri, tot virgines, & Deo sacratæ mulieres, dum nos, alij foro, alij militiæ,

Nouell. 123. *ca.* 20.

Nouell. 83.

litiæ, alij alijs vitæ negotijs, solicitè intendimus, puras, castasque manus, dies noctesque Deo Opt. Max. pro Principis, & populi salute leuarent.

Quid matrimoniorum causas memorem? nihil de illis in Iure Ciuili? nihil extra ius Canonicum, nihil ab Imperatoribus Christianis? nihil præterquam à Pontificibus Romanis cautum reperitur? Quin potius, quæ ad matrimoniorum iura spectant omnia, multò non solum prius, sed etiam purius, castius, & ad communem vtilitatem rectius, Imperatorum legibus quàm Pontificum decretis statuuntur: quantumque à Iure Ciuili discedant Canones, tantum à recta ratione, ab honestate publica, à pietate declinant: & dum Sacramenti nomine matrimonium censeri cupiunt, ad parum ciuiles nuptiarum leges, & vel Lampsaceis, quod dicitur, puellis abominandas conditiones scribendas abeunt; nimirum, vt rem amplam & magnam breui complectar. Ius ciuile, id est, Imperatorum Christianorum leges, & sanctiones, de sacrosanctis ecclesijs, de rebus & priuilegijs earundem, de Sedium Episcopalium prærogatiuis, de ætate & qualitate ordinandorum, de pœnis delinquentium, de Clericorum foro, de iure appellationum, de Monachis & Monasterijs separandis, de electione & confirmatione Abbatum & Abbatissarum, quibus parere, quibus præesse debeant; de Episcopali audientia, quæque ad ius, curamque & reuerentiam Pontificalem pertinent, ne sanctum baptisma iterare liceat: Denique, (quod nunc dierum maximè fieri oportere negant Pontificij) qui Christiani, qui hæretici censeri debeant, summa sua cura, prudentia

dentia, ratione, fide ſtatuunt. Sed quorſum hæc tam longa de rebus ad Ius Ciuile pertinentibus oratio? eò nimirum, vt intelligas Analecta, nihil aut miri aut noui eſſe, ſi Reges Angliæ in omnibus cauſis tam eccleſiaſticis, quàm ciuilibus ius & iuriſdictionem ſibi vendicent. Idem enim eſt Rex noſter in ſuo Regno, quod erat Imperator in ſuo Imperio: utriuſque tabulæ ſollicitudinem & curam gerit: Ipſe inquam in ſuis Regnis, Iuris, Iuſtitiæ, & Iuriſdictionis omnis fons & origo, eſt, & cenſeri debet. *Cod. de Hæret. l. 2. Nouell. 118. ca. 6. Vid. Iuriſt. Roman. Cathol. cap. 70.*

Quæres ſortaſſe an Patriarchæ & Epiſcopi, nulla illis temporibus Concilia celebrauerint? nullos Canones, nulla Decreta fecerint? Et ego reſpondeo; Concilia quidem eos, ſed ex mandato Principum ſemper celebraſſe: Canones promulgaſſe, ſed eos ex nutu & authoritate Principum firmitatem & robur ſemper obtinuiſſe. At leges Principum ſacros Canones imitari non dedignantur: Fateor: Stultum nempe eſt, quicquid uſpiam prudenter inventum, & rectè conſtitutum eſt, in legibus ferendis imitari nolle; non enim utile modò, ſed etiam, ut rectè monet Plato, *Facile eſt videre, ſi exemplo commoneare.* Quid igitur? An Canones legibus præferendi? nihil minùs: Leges enim illæ ſacris Canonibus, quos imitantur, vires tribuunt: Unde prudentiſſimus Imperator Iuſtinianus, *Sacros*, inquit, *Canones, non minùs quàm leges valere, etiam noſtra voluunt leges.* Et rurſus: *Sancimus obtinere, & quæ ſacris viſa ſunt Canonibus: perinde ac ſi Ciuilibus inſcripta eſſent legibus.* Eodem planè modo, quo in Anglia, & in hac noſtra Hibernia Canones ſeu Decreta *De Legib. 3.* *Cod. de Epiſc. & Cler. l. 45.*

creta Synodûm, ſi Principis conſenſus & confirmatio acceſſerit, Legis, & (quod apud nos firmiſſimum habetur) Statuti ſiue Actus Parliamenti vim & robur obtinent.

Itaque Analecta, ſi Reges noſtri ea, quæ ordinis Sacerdotalis ſunt, non attingant, quæ Iuriſdictionis, ea Pontifici Romano, id eſt, externo, ſuperbo, & perpetuo huius regni hoſti, erepta, more maiorum ſibi exercenda deſumant, quid eſt, quod hoc inter Analecta iſta tua, tam noua, tam mira referri debeat? Nouum enim eſſe dices? at antiquiſſimum eſſe conſtat; mirum? at nihil vſitatius reperiri poteſt; non enim veteres tantum illi, & quaſi aurea Primitiuæ Eccleſiæ capita, Conſtantinus, Leo, Anthemius, duo Theodoſij, Iuſtinianus, & alij, verùm etiam Carolus ille Magnus, & filius eius Ludouicus Pius, & qui illis ſucceſſit Carolus, cognomento Caluus, decidentis iam Eccleſiæ fulcimina ſimul & ornamenta, *ſua Capitula*, ſiue, quod mirere magis, *leges eccleſiaſticas* promulgarunt: in quibus, quicquid ad ritus, quicquid ad perſonas, & cauſas Eccleſiæ illo tempore pertinebat, iure Regio ſancitum reperitur. Ne Longobardi quidem, & alij, (gentes, ſatis alioquin indoctæ, incultæ, barbaræ) Rempub. ſuam aut diu florere, aut omnino ſtare poſſe exiſtimabant, ſi Eccleſiarum ſuarum curam, tanquam ad ſe minus pertinentem, Sacerdotibus delegaſſent, non rem religionis ſuis legibus & Regum ſuorum imperijs procuraſſent. Nam quid ego Reges noſtros, ante Henricum octauum omnes memorem; qui auariſſima Pontificum Romanorum decreta iuſtiſſimis ſæpe legibus reſcindebant? Sed iſtis exemplis

Capitularia Caroli Magni.

Leges Longobardicæ.

Edm. Cookus de Iure Regis eccleſ.

emplis parùm fortaſſe authoritatis ineſt: vîn tu igitur, Analecta, vt ex ſacris Scripturis hæc eadem confirmem? Audi ergo quid Dauid Rex Iſrael in rebus ad religionem pertinentibus ſtatuerit: *Iuxta præcepta Dauid nouiſſima ſupputabitur*, inquit, *numerus filiorum Leui, à viginti annis & ſupra: & erant ſub manu filiorum Aaron, in cultum domus Domini, in veſtibulis, in exedris, & in loco purificationis, & in Sanctuario, & in vniuerſis operibus miniſterij Templi Domini.* Nimirum quæ Iuris Pontificij & Iuriſdictionis Leuiticæ erant, omnia, non à Sacerdotum Collegio, non à ſummo Pontifice, ſed à Dauide primùm, deinde & à Salomone Regibus, iuſto ordine deſcripta cernimus: Cumque Abiathar ſummus ipſe Sacerdos Adoniam ſequutus, Salomoni fidem violaſſet, Sacerdotio deiectus, & vitam priuatam degere iuſſus, paruit; mortis ſententiam planè ſubiturus ni paruiſſet: Etenim, *certè vir mortis es*, inquit Salomon, *ſed hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Domini coram Dauid patre meo.* Sed alia forſitan erat Sacerdotum, alia Apoſtolorum ratio: Acta igitur Apoſtolorum inſpice: Paulus Apoſtolus, cùm lite à Iudæis apud Feſtum pulſaretur, & ſe, cum cauſa vinceret, gratia victum eſſe cerneret, vnicum ſalutis perfugium ſibi reliquum eſſe vidit, ſi appellaret: quem igitur, appellabat? an Petrum? an Romanum Pontificem? an Vicarium Chriſti in ſpiritualibus generalem? an alia vanitatis nomina? nil horum: Quem igitur? Imperatorem, Regem, Principem, Cæſarem, inquit, appello. At enim crimen, quod illi intentabatur, ciuile forſitan fuit; ideo ad Cæſarem appellandum

1 Paralipom. ca. 23. & 24.

3 Reg. c. 2.

Act. Apoſt. c 25.

pellandum erat: Imò verò, res erat merè eccleſiaſtica; *Viri, fratres*, inquit, *ego Phariſæus ſum, filius Phariſæi; de reſurrectione mortuorum ego iudicor.* Et rurſus: *Nunc de ſpe quæ ad Patres noſtros repromiſſionis facta eſt à Deo, ſto Iudicio ſubiectus:* Et iterum ad Iudæos, cùm veniſſet Romam; *Propter ſpem Iſrael catena hac circumdatus ſum*, inquit: Ecce Analecta, non de Ciuili crimine, non de frigido veſtro Purgatorio, non de inani vſu, non de nefario cultu ſimulacrorum, non de aqua benedicta, ſed de reſurrectione, de ſpe Iſrael iudicandus, ad ciuilem Magiſtratum, ad Cæſarem appellabat Paulus. Quæres fortaſſe, quid in iſtis facere potuit Cæſar? Potuit nimirùm facere, quod fecit Feſtus: Agrippam in Conſilium adhibere potuit; ad quem Paulus, *De omnibus*, inquit, *quibus accuſor à Iudæis, Rex Agrippa, æſtimo me beatum, apud te cùm ſim defenſurus me hodie; maximè, quia tu ſcis omnia, & quæ apud Iudæos ſunt conſuetudines, & quæſtiones.* Potuit facere quod poſtea Conſtantinus in cauſa Cæciliani; quod alij Chriſtiani Imperatores in aliorum cauſis fecerunt; quod denique faciunt Reges noſtri: qui quoties ad eos in hijs cauſis appellatur, non ipſi de eis cognoſcunt, ſed eos Iudices dant, qui meliorem de hijs rebus notitiam veriſimilitèr habere poterunt: quicquid autem facturi ſint Reges, certè non ad alios quàm ad Reges appellari debet. Etenim, inquit Paulus, ad Tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari: non, inquit, ibi iudicari aut poſſum, aut volo; ſed ibi me oportet iudicari; planè, vt non electionis aut arbitrij ſui, ſed neceſſitatis, & ſcripti iuris rem eſſe doceat. Videó certè me tanquam pedibus

Act. Apoſt. c. 26.

Aug. contra Donatiſt. pertinaciam epiſt. 162. & al bi ſæpe.

pedibus mare ingressum, ita hanc de iure & iurisdictione Principum quæstionem tractare aggressum, quicquid progredior in vastiorem semper altitudinem, & veluti profundum inuehi; & crescere subinde scribendi materiam, quæ singulis, quibusque argumentis respondendo, minui videbatur: Sed docendus erat Analectes, aliud Principis esse munus & fastigium, aliud Sacerdotis: Non enim Pontificem, siue Romanum, siue alium quemuis, sed Regem à Deo proximum, & solo Deo minorem in Ecclesia habendum esse scimus: Quæ quidem sententia vel ex eo manifesta redditur, quod in libro Chronicorum scriptum legitur: *Et benedixit omnis Ecclesia Domino Deo patrum suorum, & inclinauerunt se, & adorauerunt Deum & deinde Regem.* 1 Chron. c. vlt. v. 20.

Audîn, Analecta; Omnis Ecclesia inclinauit se, & adorauit Deum, & deinde Regem. Cur hoc? nisi quia Rex Ecclesiæ princeps est & caput? Ita enim Samuel Propheta Saul Regem alloquitur: *Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in Tribubus Israel factus es?* 1 Reg. c. 15. v. 17.

Hîc te rogo, Analecta, te inquam, qui tam ægrè ferre soles, Regem nostrum Ecclesiæ nostræ Caput appellari: quid aliud erat, *Caput in Tribubus Israel*, quàm Regem & Principem in Ecclesia, fieri? Tribus enim illæ Israel, quid aliud erant, quàm Ecclesia? illa, inquam, Ecclesia, de qua dicitur, *Adorauerunt Deum & deinde Regem?*

Hæc autem Ecclesia, quid aliud erat, quàm populi fidelis congregatio? cuius qui Princeps & Caput erat, Rex dicebatur: Ita fit vt qui legitimus Rex est, is iure optimo, & populi Princeps, & Ecclesiæ

cleſiæ illius Caput appellari debeat: Quod quoniam nos in Regibus noſtris, recto ſenſu vſurpamus, ideo tu eos *Diales Flamines & Pontificiales Principes* appellas. Sed quæro, quo ingenio? nam ſi eos hoc titulo confiſos ſacris operari: ſi quæ ordinis Sacerdotalis ſunt, attingere contendis; nego: ſin quæ Iuriſdictionis ſunt, eos ſibi vindicare & aſſerere affirmas, defendo: & Regem noſtrum, rerum Caput cùm ſit, in omnibus cauſis tam Eccleſiaſticis quàm Ciuilibus legitimum Imperium & Iuriſdictionem habere dico.

Cuius quidem Prærogatiuę dignitatem Regi noſtro nihilo faciliùs, quàm vt tu ipſe rectè modò aiebas, Analecta, Herculi clauam è manibus extorquebitis: Deo enim & iure ſuo, prudentiaque illa, qua eum Deus præ omnibus terræ Regibus inſignem eſſe voluit, & ſubditorum ſuorum religione, fide, robore, virtute tretus, maieſtatem illam, quam à maioribus ſuis integram accepit, poſteris illæſam, & illibatam conſeruabit.

Pag. 119.

Reſp. ad calumniam de infeſto Anglicanæ gentis animo in eccleſiam.

Sed pergit Analectes, & ipſam gentem Anglicanam ex eo infamem reddere laborat, quod ex quo primo tempore terram hanc deuicit, & Regis ſui dominio ſubiugauit, Eccleſiæ ſemper infeſta fuerit: Id duobus maximè exemplis probare contendit; altero Laurentij, altero Iohannis Cumini, Archiepiſcoporũ Dublinienſium: Cauſam verò ſuam ex teſtimonijs Giraldi Cambrenſis, & Houedeni noſtratis inſtruit, à quibus nec ego diſcedo; quæ autem illorum vtriuſque cauſa erat, ex horum ſcriptis breuiter intelliget is: Laurentius ad Concilium Lateranenſe, ſub Alexandro Tertio Pontifice Romano celebratum

Pag. 181.

Reſp. ad calumniam de Laurentio Archiepiſcopo Dublin. pa. 182.

celebratum profectus, ab eodem Alexandro, certa quædam priuilegia, contra Regiæ dignitatis honorem & commodum impetrauerat. Quod cùm re- *Cambrens.*
sciisset Rex, qui tum in Normanniæ partibus agebat; ipsum Laurentium Roma redeuntem, & in Hiberniam cum Bullis quibusdam papalibus, ad noua incendia comparatis festinantem, in itinere prehendit; & sublato, quo erat instructus, nouorum tumultuum & bellorum fomite, non occidit, non in vinculis habuit, non vlla contumelia affecit, sed in Normannia manere iussit: vbi non ita multò post, fato suo obijt: Causa hæc est; nec defensione (vt opinor) eget: Rex enim cum seditioso homine & rerum nouarum cupido, durius noluit, mitius non potuit agere. Huic successit Iohannes ille, in quem nihil atrociùs commissum memoratur; sed, vt videtur, belli necessitate ad id cogente, Regij Duces aliquid de bonis, quæ ad Ecclesiam eius spectabant, cum bona id eius gratia facere non possent, Reipub. vsibus, authoritate freti, deputabant: id ægrè ferens Iohannes, totam Diœcesim, quod absque flagitio fieri non potuit, interdicto suppossuit, & in Angliam ad Regem de iniuriis conquestum abiit. Sed quoniam non satis optatum responsum à Rege tulerat, ideo homo iracundus, & stomacho indulgens, in Anglia manere quàm in Hiberniam reuerti maluit: id exilium appellabat. Qua in causa, quid in hominibus Regiis reprehendi debeat, non reperio: etenim inter arma silent leges, multaque siue belli siue aliorum temporum necessitas, licita facit, quæ tempore magis suo satis honestè fieri non possent. Neque verò tali tempore recusandum erat, *Resp. ad calumniam de Iob. Cumiro Archiepisc. Dublin.*

quin multa & Respub. & Ecclesia vel præsidia diuitiarum, vel ornamenta dignitatis perderet. Pax enim reddita, tanquam ver nouum, omnia pristino splendori redditura erat: interim Iohannes ille communem sortem, à se alienam putare non debuit: Nec hinc Rotherico, illinc Ororicio, vrbis portas & mœnia quatiente, ferroque & flamma, quicquid extra Ciuitatem reperire erat, deuastante, solus immunis, & omnis non solùm calamitatis, sed etiam incommodi exors viuere. Possem causam hanc rationibus è Iure petitis, possem exemplis ex omni historia desumptis tueri & defendere: Sed hoc tantùm dico, nihil in hiis exemplis esse, quod gentem Anglicanam, sacrilegij, auaritiæ, aut auersi ab Ecclesia, quæ tum erat, animi ream possit facere. Factum enim Regis, in Laurentium & iustum in se erat, & planè necessarium: Regiorum verò in Iohannem, quia necessarium erat, ideo iniustum dici non oportebat. At enim vterque, vir sanctus erat; credo, ea sanctitate, quæ tum in vsu erat; illo enim sæculo, sub ambitiosissimo Pontifice, & tum maximè vigente Papatu, Ecclesiæ opes adaugere, & Romani Pontificis dignitatem tueri, summa sanctitas habebatur. Cui studio, eo impensiùs incumbebant, quòd sub illo ipso tempore, Thomam Cantuariensem, non in Sanctorum modò & Confessorum, sed etiam in Martyrum numerum relatum, eiusque nomini Monasteria erecta, & Basilicas extructas esse cernerent: Non quòd ille Christo testimonium morte sua perhibuisset: sed quòd Romani Pontificis authoritatem & tyrannidem, ad iniuriam Regis & regni perniciem strenuè promouisset. Quod cum

Rege

Rege ipso dissimulante, serui Regii vlteriùs ferre non possent, armati in eum irruerunt, & facto necessario, magis, quàm exemplo vtili, è medio, (quod nollem) sustulerunt.

Ecquid verò amplius ab Anglis in Hibernia peccatum narras, Analecta? Immò, inquis, *Insequuta tempora maiorem semper molem grauaminum intulerunt, quod non siluerunt Hiberni, de Edwardo tertio; de quo apud Sedem Apostolicam grauiter sunt conquesti.* *Responsi. ad calumniam de Edw. 3.*

Fateor Analecta, multa sæpe Anglorũ Reges ad honorem & gloriam Dei, & eius Ecclesiæ conseruationem fecisse, quæ Pontificibus Romanis vehementer displicuerunt. Sed vt breui rem omnem complectar, vt in Anglia, sic etiam in Hibernia, Pontifices Romani Iurisdictionem sibi in causis Ecclesiasticis omnem vendicabant: Reges verò Angli, populusque Hiberniæ iura Regia & Coronæ prærogatiuas, aduersus illorum tyrannidem & iniustam dominationẽ virilitèr semper defendebant: Interim verò, inter duo capita, Reip. corpus miserè affligebatur: Clericis plerisque ad Papam, Laicis verò ad Regem rem trahentibus; donec tandem, sub Henrico octauo, omnium ordinum consensu, Iurisdictio omnis Pontifici Romano, vel propter abusum abrogata, vel tanquam iniusto possessori adempta, Coronæ, ad quam de iure & antiquitùs spectabat, restituebatur. Tum quoque quod olim, regnante Henrico secundo, Claringdoniæ statutum fuerat, & in quo vis omnis Iurisdictionis posita esse videbatur, rursus lege lata cautum, & edicto in æternum valituro sancitum est, ne cui, vel ab Archi-

episcopo, vel ab alio quouis ordinario, ad Romanum Pontificem, sed ad ipsum Regem appellare liceret: & sic omnis Iurisdictio, quam priùs, cum Rege Pontifex diuisam habuit, magno Dei beneficio, magno Ecclesiæ simul & Reipub. nostræ bono, communi bonorum omnium voto, & consentientibus populi, tum Anglicani, tum Hibernici studiis, ad Regem, in iure Coronæ suæ rediit.

Atque hic nunc fremit, frendit, crines vellit, & planè furit Analectes: &, vt canum morientium morsus sunt rabidissimi, ita hic noster, cùm de rebus Pontificijs iam desperet, in aperta conuicia & rabiem prorumpit: *Cum regali Corona, Pontificias infulas coniungari, cum Diademate laicali, maritari ecclesiasticæ iurisdictionis apicem*, exclamat: HENRICVM Pag. 195. Regem, *Commodum deificatum, Herculem prodicium, prodigiosissimum Ecclesiæ Principem, opere præcipitem, munere bicipitem appellat: ipsam verò potestatem prodigiosam, portentosam scæuam, obscœnam fabulam, laicocephalam Anarchiam, immane monstrum, ex vtero Iunoniæ libidinis procreatum*, nuncupat. Tu verò Patrissas, Analecta, & Dæmonem, vt semper, sermone refers.

Sed omissa conuiciorum vicissitudine, ad rem venio: Affirmas Analecta, portentum esse, si quis regalem Coronam cum Pontificijs infulis coniunxerit: ergo portentum est Romanus Pontifex, qui, vt docet *Innocentius, & summi Pontificis authoritatem exercet, & in beati Petri patrimonio summi Principis exequitur potestatem.* Immane monstrum esse ais, si quis potestatem ecclesiasticam pariter & ciuilem exerceat: Monstrum ergo immane est Romanus

Qui filij sint legitimi, ca. per Venerabilem.

Pontifex

Pontifex, qui vtriusque gladij in vniuerso mundo ius & potestatem sibi vendicat. Prodigiosum rem esse contendis, si quis cum Diademate laicali, ecclesiasticæ dignitatis apicem maritauerit: Prodigium igitur est Romanus Pontifex, qui triplici corona fulgens, se non solùm cœlum & terram, sed & inferos ipsos, imperio suo continere gloriatur: nisi illud forsasse tibi sumis, vt Pontifici quidem Regi esse, licere dicas; Regi verò, vt Pontifex sit, licere neges: atqui ad portentum quod attinet, quid interest, Rex ne sit quis, & sacerdos, an sacerdos, & Rex? Siue enim capiti humano corpus equinum, siue corpori equino caput humanum iunxeris, monstrum, portentum, prodigium paritèr esse non negabis: Atqui, & sæpe dixi, & nunc rursus dico, Reges nostros, Reges tantummodò esse non sacerdotes; Sacerdotem enim non iurisdictio, sed ordo facit.

O Analecta: Sacerdos cùm sis, vtinam quæ ordinis tui sunt magis curares, quæ verò iurisdictionis alienæ, minùs: vtinam beati Petri exemplum vobis ante oculos proponeretis; nec sub eius nomine illa vobis deposcereris, quæ ipse, cum doctrina & gratia longè præcelleret, nunquam sibi arroganda esse duxit: monuit ille vt caueret Christianus, ne vt maledicus vel alieni iuris appetens pateretur. Quid igitur de te fiet? qui tam execrabile iudicium aduersus vnctos Domini portasti? Honorificate, inquit, Regem. At tu Regem tuum pessimis maledictis & conuitijs plusquam Shimeïcis prouocasti: dum enim ipsam potestatem, portentosam, prodigiosam, & monstrosam vocas, horreo dicere, quanta sit hæc in personam Regis, qui eam exercet, maledictio.

Sed reuertatur maledictio ista in caput tuum, Analecta, & in Caput ordinis tui in æternum: Iacobo verò nostro & Semini eius, & Domui, & Throno eius, sit pax vsque in sempiternum à Domino, & dicat omnis populus, Amen.

Atque vtinam hic tandem consisteret maledicendi ardor; verùm vsque pergit, & impuro ore, nunc Henricum Regem defunctum rodit, nunc sereniſſimo Iacobo superstiti oblatrat: *Sic*, inquit, de Henrico, loquens, *visum est Regi omnia vnius Dominatu esse tenenda; qui iam in brachio extento posit nobis referre, & Iouis fulmen & Herculis clauam, & Neptuni tridentem, quin & innuptam Mineruam, ac Venerem Vulcano enuptam, à Marte constupratam; vna vice, eodemq; vultu repræsentaret.* Equidem Analecta, de Hercule non abnuerim antea enim dixi, eum Hydram Romanam contudisse. Cætera verò, quid sibi velint, aut qua ratione tanto Principi conueniant, vt sum natura paulò hebetior, non intelligo; nec ænigmata soluere consueui: Sed ad maledicta in optimum Principem Iacobum coniecta venio: hunc & antea Dialem & Pontificalem Principem, & nunc rursus Archiflaminem, sacrilegè, appellas: *Afflat*, inquis, *& adurit, iste Laicalis flaminatus, omnem florem & virorem huius Imperij, dumq; ipse Archiflamen delinitus Syrenio cantu Politicorum sinit se abduci à recto tramite, quem longa Regum serie Progenitores calcauerant, læuo nobis omine, ex aliorum tantùm, vt credere fas est, assentatione & abdomine cogitur istam ecclesiasticam dominationem non respuere.* Quousque igitur erit mihi hæc bellua in sanctissimi Regis nomen & dignitatem irruens, repellenda? Sæpe enim iam

Respons. ad calumniam de flaminatu Regi attributo.

iam dixi, & est per se res notissima, Principes nostros sacra omninò non attingere. Nec verò alio quàm ecclesiasticæ iurisdictionis, nomine, hanc illis lucè intendit importunissimus Analectes, & propter eam, vt sæpe asserit, occupatam, serenissimum Regem Archiflaminem appellat. Quæro igitur, an veteres illi Archiflamines iurisdictionem vllam vnquam in Repub. Romana exercuerint? Pontifex quidem Max. ex Numæ Pompilii instituto sacra omnia curabat: quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fieri deberent, edicebat: de religionibus priuatis, & publicis respondebat; iusta funebria curabat, etiam & Fastorum rationem penes Pontificum collegium fuisse legimus. *Liuius lib. 1. Feneſtell. cap. 8. de Sacerdot. Pompon. Læt. de Sacerdot.*

Tu verò nunc Analecta, reuolue mihi omnes historias, omnes Annales, omnes Romanorum, cuiuscunque disciplinæ, libros, & ostende si potes, vel Archiflamines, vel Pontifices iurisdictionem in vrbe Romana, exercuisse: ædes fortasse, publicas, & sacras, eorum sententia, & iudicio fieri potuisse dices: Immò verò, *video*, inquit Tullius, *esse legem veterem Tribunitiam, qua vetet, iniussu plebis, ædes, terram, aram, consecrare.* Ea lex Papiria fuit, plebis iniussu quicquam consecrari vetans; quam legem præter Clodium, & Clodio similes, nemo vnquam sacerdotio fidens violauit. At, credo, Pontificem Max. cæteroſque sacerdotes & flamines eligendi ius penes Pontificum Collegium erat. Omnium hominum nequissimus non fueris Analecta, si vel hanc Iurisdictionis particulam ad Pontifices olim spectasse ostendere potueris. Quis autem nescit, legem olim Romæ fuisse latam, quæ harum rerum arbitrium, *In orat. pro domo sua ad Pontif. Feneſtell. de Sacerdot. c. 8. Tull. de lege Agrar. ad pop.*

arbitrium, cùm priùs penes Senatum fuisset, ad populum transferebat. Nam si argumentis, si testimoniis, si exemplis ex historia petitis, hac in causa molestus esse vellem, mihi crede, Analecta, te hominem, vti video, in rebus istis non versatissimum, eorum multitudine obruerem. Itaque si nec Rex noster quicquam sacrorum attingat, nec Pontifices olim, non dicam iudicia publica, sed ne ea quidem iura, quæ ad interiora sacerdotii proximè accedere videbantur tractabant, quibus tu malitiæ stimulis, quibus vesaniæ furiis agitatus, res diuersissimas nominibus confundis; & Maiestati Regiæ abominandos Paganorum flaminum titulos ascribis?

Resp. ad calumniam de assentationibus Regis. Pag. 198. At enim, quod alioquin à se factum nollet, *Fallacibus Politicorum sermonibus & assentatione, cogitur ecclesiasticam istam dominationem non respuere:* nunquam quicquam legi puerilius. Nam si Rex noster, aut ætate minor, aut iudicio infirmior, aut doctrina & rerum notitia omninò destitutus esset, tum ista diceres; nunc verò, cum illa ætate sit, cum omnes terræ Principes doctrina superet, cum incomparabili sacrarum literarum, Patrum, Historiarum, præsertim quæ ad Ecclesiam spectant, notitia, non solum inuidiæ oculos præstringat, sed etiam doctissimorum virorũ animos in sui admirationem rapiat: quid à te stultius? quid amentius dici potuit, quàm eum non iudicio suo ductum, sed aulicorum consiliis & vocibus coactum Ecclesiæ curam in se & gubernaculum accepisse? At enim ipse Rex huius *ecclesiasticæ iurisdictionis cariem & saniem agnouit.*

Resp. ad calumniam de agnitione Regia. Pag. 198. Itané verò? an eò vsque Rex prudentia simul & pietate clarus se aplicorum suasu duci patitur, vt

iurisdictionem,

iurisdictionem, quam apertè damnat, quam procarie & sanie agnoscit, exercere tamen velit? Rem profectò inter mira ista tua meritò referendam, & nullo vnquam tempore credendam narras Analecta: sed qua fiducia? quoué iudicio, ista referas, scire cupio. An enim verbo, dixit aliquando Rex? non: quid? an nutu significauit? nescio: quid ergo est? *Paulò post Regni auspicationem*, inquis, *instituit solennem conferentiam cum Episcopis*: fateor: & addo, multis vtique de causis, id ita fieri potuisse: Vt enim ager, ita & Ecclesia quælibet, nisi à Principe tanquam ab agricola bono, continuo aratro renouetur, & ab ingruentium vitiorum & errorum sentibus illius cura repurgetur, spinas fœliciùs quàm fruges feret, & sanam doctrinam prauis erroribus, rectam verò disciplinam malis moribus facilè commutabit. Sed quid hoc ad Iurisdictionis vitium? *In illa*, inquis, *conferentia notum & agnitum fuit, & vel ipso Rege iudice recognoscitur, Scripturam quam hactenùs venditarunt pro diuina & sacra Protestantes, ita erroribus scatere, vt etiam manifestum sit egere legitima traductione.* Est hoc quidem aliquid ad Bibliorum nostrorum culpam: sed quid hoc ad Iurisdictionis saniem? *Si ergo*, inquis, *informis vsque adeò & inanimis remansit & adhuc remanet Anglicana ecclesia, absque vera Scriptura & verbo Dei, si nulla reperta vulgaris translatio, quæ vel Regi satisfaceret, vel veritati consonaret, vel ab errore ac deprauatione immunis esset, si omnis illa quæ hactenùs emanauit, ita mendis & maculis scateat, vt nouæ egeat repurgatione, non deberet, inquis, aduersarijs nimiùm displicere nostrorum constantia: qui libentèr non subeant illam societatem*

cum tam manifesto errandi periculo. De Bibliorum nostrorum versione mox videbimus: sed interim & rursus à te quæro; quid hoc ad Iurisdictionem? quid ad Regis de ea re iudicium & confessionem attinet? Dixisti Regem *ecclesiasticæ suæ Dominationis*, id est, supremæ potestatis & iurisdictionis suæ *cariem & saniem* introspexisse: Mitte igitur tandem aliquando ambages: & aut verum indicium perage, aut falsò insimulati Regis fatere facinus. Non te puder, Analecta, tam aperto scelere constrictum teneri? nec te ista tam falsò, tam nefariè scribere aggressum, aut facti conscientia terrere, aut Regiæ Maiestatis reuerentia tenere, aut vindictæ diuinæ, quæ Reges inultos non esse sinit, metus cohibere potuit?

Respons. ad calumniam de noua translatione Bibliorum.

Atqui Biblia nostra erroribus ita scatebant, vt noua emendatione opus haberent: Huî Analecta, quàm seriò tu nugas agis? quasi verò quicquam in hoc mundo perfectum esse possit; aut quasi quisquam nostrûm vnquam affirmasset, versionem Bibliorum nostrorum ita perfectam fuisse, & omnibus suis numeris absolutam, vt nullus in ea error reperiri posset; quin potiùs sit Deus verax, & omnis homo mendax: Atquî si inanem istum verborum tuorum sonitum audire volumus, si vbi nulla olim reperta fuit Bibliorum translatio, quæ ab errore omni immunis fuerit, ibi nihil præter cariem & saniem, ecclesiamque informem & inanimem putriq; & carioſa basi innixam reperiri potuisse asseris, profectò, quod absque scelere ne cogitari quidem potest, de vniuersa fide Catholica & religione Christiana, ab Apostolorum vsque temporibus periclitabimur.

tabimur. Notum enim est illud Hieronymi, *Apud Latinos, tot fuisse exemplaria quot codices:* Notũ est etiam illud Augustini, *Latinos Scripturarũ interpretes planè esse innumerabiles; nec illos quidem optimi generis omnes, sed alios alijs meliores, quosdam verò depravatissimos:* qua de re grauitèr quidem queritur Hieronymus: *Magnus,* inquit, *hic in nostris codicibus inoleuit error; dum quod in eadem re alius Euangelista plus dixit, in alio, quia minus putauerint, addiderunt; vndè accidit, vt apud nos mixta sint omnia; & in Marco plura Lucæ ac Matthæi, rursus in Matthæo plura Iohannis & Marci, & in cæteris reliquorum, quæ alijs propria sunt, inueniantur.* Magna, inquis, confusio: sed tamen non tam furiosus Hieronymus, vt propterea, versiones illas cariem & saniem, aut ecclesias, quæ illis versionibus vterentur, inanimes aut informes appellaret: Sed in versione aptiùs cudenda, plus cæteris adlaborabat; quæ quidem Hieronymi translatio magna & incredibili industria ad exitum perducta, multa post sæcula ita Ecclesiæ manibus terebatur; vt vulgatæ editionis nomen, per vniuersam Ecclesiam Latinam mereretur. Sed ea tamen ipsa, cursu temporum, adeò corrupta, & depravata esse cœpit, & tot exemplaribus inter se contrariis diuersificata, vt Hieronymi doctrinam & excellens scribendi genus in earum aliqua, non agnoscerem. Veruntamen Tridentina Synodus, veterem & solam vulgatam retinendam, & tam in scholis, quàm in ecclesijs pro authentica habendam esse censuit. Sed enim in tanta exemplarium diuersitate, quæ illa vetus & vulgata, & eo nomine, cæteris fide dignior esset, nullo modo con-

In Præfat. ad Iosue.

Lib. 2. de doctr. Christ. cap. 11.

In Præfat. ad 4. Euangelist.

ſtare potuit. Iſidorus quidem Clarius Brixianus, ſe in editione vulgata, octo mille loca emendaſſe ait: nec tu propterea tempore illo Romanam eccleſiam cariem & ſaniem, aut inanimem fuiſſe concedes opinor Analecta.

Poſt viginti igitur à Synodo Tridentina & amplius, annos, Sixtus Quintus huius laudis amore flagrare cœpit, & cum exemplaria veterrima magno numero comparaſſet, viroſque, vt videbatur, non eruditos in eo opere adhibuiſſet, tandem eam Bibliorum editionem in lucem emiſit, quam Apoſtolica authoritate comprobatam *pro vera legitima*, (verba hæc ſunt iſtius Bullæ Sixti Quinti) *authentica, & indubitata in omnibus publicis priuatiſque diſputationibus, lectionibus, prædicationibus, explanationibus, recipiendam eſſe decreuit.* Sed ne quid à Synodo tamen diſcedere videretur, eam *veterem & vulgatam* appellabat. Verùm ea erat huius tam legitimæ tamq; authenticæ editionis peruerſitas, ſimul & infœlicitas, vt auctore defuncto, ipſum ſtatim opus, ab vniuerſa eccleſia Romana, tanquam indignum, & à Scripturarum mente alienum repudiaretur. Itaque Clemens Octauus, Papa factus, eidem negotio aduertit animum, & editionem multò correctiorem, & Hebraicæ Græcæque veritati magis conſentaneam evulgauit: qua in re, ne quid horum Pontificum alteruter erraſſe videretur, dici vix poteſt, quàm miſerè ſe torqueant Romaniſtæ: eandem nimirùm Clementinianam hanc, cum Sixtiana illa eſſe volunt: nec niſi Typographi ſuperioris errata, à poſteriore emendata fuiſſe pugnant.

Bulla Sixti Quinti.

Præfatio ad Bib. clement.

Sed hunc fucum nobis diluit Thomas Iameſius, meus

meus olim ille in nouo Collegio Oxonij socius & sodalis, in suo libello qui *Bellum Papale, siue de discordia Sixti Quinti & Clementis octaui, circa Hieronymianam editionem*, inscribitur, vbi infinitas harum editionum diuersitates & pugnas enumerat, & designat, alteramque alteri, vsque adeò contrariam esse docet, vt eandem esse planè non agnoscas.

Mitto hic Rob. Stephani, Heutenii, Louaniensium, editiones: quarum nullæ duæ sunt, quæ inter se frontibus, quod dicitur, aduersis non concurrant. Tunc igitur Analecta tam improuidus, & amens eris, vt propter has quantumuis diuersas versionum formas, ecclesiam Romanam putredinem & cariem, inanimem & informem esse dicas? non opinor: cur igitur in hæc verba contra ecclesiam nostram prorumpis? in qua nulla tanta Scripturarum diuersitas, nedum contrarietas notari possit; mendis, inquis, & maculis ita scatebant vestra Biblia, vt noua illis repurgatione opus esset: fieri id quidem potuit: sed quid in eo miri? cùm nulla vnquam versio tam perfecta fuerit, vt emendatione non indiguerit. Nunquam hanc sibi perfectionem ipse Hieronymus vendicauit: sed *Lector*, inquit, *hoc opus suscipiat, si placet, vel contemnat, si displicet*: & rursus; *Legant, qui volunt, qui nolunt, abijciant.* *In præfat. ad Esdram.*

Quid Clementiniana illa vestra? an mendis caret? at quin audi quid Iamesius ille, diligentissimus harum rerum Rimator hac in causa dixerit: *Multa*, inquit, *in illa editione ad fidem Codicum Græcorum & Hebraicorum correcta sunt, verùm supersunt adhuc multò plura corrigenda; & decem ad minus sententiæ temerè insertæ in vno libro Prouerbiorum Salomonis, expungendæ:* *Bellum Papale.*

expungendæ: præter decem millia verborum in vtroq; instrumento, quæ differre quantum ad sensum à Græcis & Hebraicis fontibus Chaldaicoq; Paraphraste obseruatum est, & annotatum iampridem à Louanensibus in notis marginalibus.

Quid Septuaginta Interpretum versionem memorem? cuius tanta apud veteres fuit authoritas: an tu eam mendis & erroribus caruisse putas? atqui præter ea, quæ temerè in eo opere peccata sunt, prauo insuper consilio, omnia Testamenti veteris de Patre & Filio & Spiritu Sancto testimonia aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt; vt docet Hieronymus. Itaque si vbi Interpretum varietas aliqua reperitur, nullam ibi religionis basin fuisse asseres, profectò non nostrané an vestra verior sit, sed an omninò aliqua sit Christiana religio, apud instabiles & indoctos in dubium reuocabis. Frustra igitur te liuore torques Analecta, frustra imperitæ multitudinis animos, vel in nos concitare, vel à nobis auocare studes: quasi aut perfectius quid apud vos reperiri possit, aut quasi Anglicana ecclesia hucusque absque verbo Dei & vera Scriptura fuerit. Rectæ enim erant versiones illæ priores, sed nouissima hæc, correctior forsitan, & quod solum de opere suo spondent Interpretes illi noui, ad Hebraicum & Græcum textum, emendatior: facile autem erat inuentis addere: vtque hij translationis emendatioris laudem meruerunt; ita ecclesiæ ad veram euangelii Christi doctrinam conuersæ, gloriam prioribus non ademerunt: neque verò translationem hanc nouam in priorum vituperium & reprehensionem elaborasse existimandi sunt. Sed

In Præfat. ad Paralip.

vt

vt hanc commodiorem qui putarent, ſequerentur; illis, qui mallent, bona cum venia vterentur: neque enim priores illæ damnantur, nec vel publicè in eccleſijs, vel priuatim, in domibus, tanquam vitioſæ legi prohibentur: Sed cuilibet in ſuo ſenſu abundare permittitur: Omnes enim verſiones noſtræ puræ, caſtæ, rectæ ſunt: ſed alia verbum verbo magis ſequitur, alia à verbis paululum diuertendo, verum ſenſum non minùs aſſequitur; nulla verò quicquam à fide orthodoxa alienum, conſectatur.

Quid igitur veſtrorum hominum conſtantiam tantopere laudas Analecta, quòd nobiſcum non ſubeant, vt ais, ſocietatem cum tam manifeſto errandi periculo? nos quidem plures habemus tranſlationes, alias aliis meliores, ſed omnes bonas: vos ſucceſſiuè plures habuiſtis, ſed priores à poſterioribus ſemper condemnatas. Vbi igitur quæſo manifeſtius errandi periculum? niſi quòd vos ſacras Scripturas per fidei veſtræ Canonem impunè & liberè contemnere poteſtis, nobis verò ex noſtri inſtituti regula, tam impiis eſſe non conceditur. Sed, vt huic tandem diſceptationi finem ponam, piè admodum & religiosè fecit ſereniſſimus Iacobus Rex noſter; qui Bibliorum tranſlationem, quantumuis antea ſufficiens eſſet ad ſalutem, ad fontes tamen reuocari, & ad Lydium textuum originalium lapidem examinari, & ſemper emendatiorem in lucem exire voluit: fuit hæc olim beati Hieronymi gloria, quòd hoc in Latina lingua perfecit. Fuit etiam Clementis octaui veſtri laus, quòd id ipſum perficere volebat: plus certè, noſtrorum hominum iudicio, in ea re, quam aut Sixtus Quintus,

tus, aut ſuperiorum aliquis profecit: Iacobus verò noſter in ſæculum erit benedictus, quòd populo ſibi à Deo commiſſo, hoc tantum beneficium, tanta ſua cura, tantiſque doctiſſimorum virorum ſtudiis & vigiliis elucubratum, ad Dei Opt. Max. gloriam, & vberiorem ſacrarum Scripturarum intellectum contulit.

Quis igitur hoc prudentiſſimi ſimul, & ſummè religioſi Principis conſilium vituperaret, niſi qui ipſe ab omni religionis ſenſu & Dei cultu alieniſſimus haberi vellet? Tuque Analecta cæcam maledicendi libidinem ſequutus, dominationem (vt Apoſtoli Iudæ verbis, non temerè vtar) ſpernis, & maieſtatem blaſphemas, & ea ſtultiloquio tuo reprehendis, quæ omninò non intelligis. Inde de viſitatione ſtatus eccleſiaſtici ex regali commiſſione dicere aggrederis: In qua Proteſtantium flagitia & immunditias quæ antea in angulis, & ſub modio fiebant, in vulgus propalata, & omnium oculis patefacta fuiſſe dicis: Nimirùm Analecta, hoc inter noſtram veſtramque diſciplinam intereſt: Vos cleri veſtri flagitia & ſcelera, ſiue adulteria ſint, ſiue homicidia, quantum poteſtis, tecta & legibus impunita eſſe vultis. Nos à quocunque homine commiſſa ſunt, paria peccata, paribus ſuppliciis plecti oportere exiſtimamus, & quantum poſſumus, damus operam, vt Clericorum noſtrorum, non minùs quàm aliorum flagitia eruantur, & in aperto fiant: nec religioni aut diſciplinæ noſtræ opprobrium eſſe ducimus, ſi aut Cham aliquis in noſtra nauicula, aut Iudas in menſa reperiatur: neceſſe eſt enim vt offenſiones veniant: Sed Deus vt glorificatur in

Reſponſ. ad calumniam de viſitatione Regia.

inno-

innocentia sanctorum, ita honoratur etiam in pœnis malorum. Itaque Analecta, si, vt ais, in visitatione illa Regali immunditiæ & flagitia quorundam hominum, quæ priùs latebant, patefacta sunt, illud ipsum profectò erat, quod Rex voluit: voluit, inquam, vlcera Ecclesiæ detegi, vt sanari possent. Sed quoniam gestit tibi animus, hic, vt vbique, malè de nobis & Ecclesia nostra, dicere, age, perge, opus aggredere; quid vis? *Prodeat*, inquis, *primo in loco A. B. Apostata, qui in Aquilonari Colonia prætensus D. Episcopus instar alicuius Itiphalli de grege Corybantum tam effusè proruebat in libidinem, vt vxoris suæ tædio affectus, & desultoria libertate se magis oblectans, ascititia repudij sententia, quam in Curia Prerogatiuæ Regiæ quasi in persona alterius sui quidem Diœcesani, suffuratus est, divortium fecit, & famuli sui coniugem in locum repudiatæ assumpsit, & tam in primo Connubio sacrilegus, quàm in secundo profanus, & in libello repudij fraudulentus, in omnibus autem flagitiosus & infamis, ab ipsis suæ sectæ Coryphæis notatus est, & à bonis omnibus merito despectus.* *Respons. ad calumniam de Episc. Dunens.*

Ista quidem, Analecta, ita vti à te hic ferè narrantur, vera sunt omnia: Quidam A. B. id est, Iohannes Todus, nomine, Romæ aliquot annos enutritus, religione mutata, in Angliam rediit, inde in Hiberniam venit, secumque mores Romanos, libidinẽ, auaritiam, superbiam & malitiam plusquam Diabolicam aduexit; vbi, vt multa sæpe monstra errore hominum, ad Papatum erepserunt, ita & ille Episcopus Dunensis factus fuit: Deinde in prodigiosam illam libidinem prorupit, quam vt ferè so-

let, quoties de rebus turpioribus dicendum est, luculentèr admodum & verbis valdè bonis describit Analectes. Sed cur non & cætera, pari orationis pompa, narrat? Cur eum à Coryphæis nostris notatum, potiùs quàm Episcopatu deiectum fuisse memorat? Nam cùm Ecclesiæ nostræ gubernator in terris summus, acerrimus ille flagitiorum & scelerum vindex Rex, tantam illius hominis turpitudinem esse, accepisset, in Angliam eum confestìm acciri iussit: quò cùm venisset, Reuerendissimo Archiepiscopo Cantuariensi, vigilantissimo Ecclesiæ nostræ Pastori, & aliis datum est à Rege negotium, vt rem diligentèr inquirerent, & si reum reperirent, secundùm ius & iustitiam in eum animaduerterent: Itaque Todus ille cum manifestissimis indiciis & argumentis captum se & vndique circumclusum cerneret, nec fraudibus suis (erat autem versutissimus, & Iesuitarum, quos vnicè Romæ frequentauerat, artibus non mediocriter instructus) exitum iam reperiret, vltro offerendum ratus, quod necessariò amittendum erat, & dignitate sua cedere quàm cadere malens, Episcopatui suo, iussus, sponte renunciauit: & factum est in eo, quod impletum erat in Iuda, Deserta facta est eius habitatio, & Episcoparum eius alter accipiebat; vtque Iudas crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius, ita Todus ille malo fato functus fuisse creditur.

Itaque Analecta, frustra nobis Clericorum nostrorum flagitia obijcis, cùm tantam disciplinæ nostræ seueritatem & legum securim delinquentium ceruicibus semper imminentem videas. Scelera enim ne fiant, nulla lex, nullus magistratus, nulla Principis

Principis cura, nulla denique ratio aut conſilium humanum præſtare poteſt; impunita ne maneant, id ad leges & magiſtratus pertinet, id bonorum ſtudio, iudicantium religione, Principis induſtria, ſolertia, fide, caueri poteſt. Latra igitur quantum vis, Analecta, vel etiam ſi potes, morde: citiùs profectò dentem infringes, quàm infiges: citiùs veſtram malè de nobis dicendi libidinem prodes, quàm aut legum noſtrarum ſeueritatem, aut Iudicum fidem refutabis.

Ecce verò, Analecta, te pro tribunali tuo ſedente, & nomine quemque compellante, ſedibus ſuis exeitus, prodiit, & coram te comparuit Iohannes Todus, Epiſcopus olim Dunenſis: & quid vis? quærit; nam ſi peccaſſe arguis, fatetur; ſi pœnam meruiſſe, dedit: ſi ex vnius hominis delicto vniuerſæ noſtræ Eccleſiæ infamiam irrogare cupis, te maledicum eſſe probas, ſed Eccleſiæ noſtræ, quæ tam ſeuera in delinquentem fuit, famam nequicquam lædere laboras: Quid vis amplius?

Reſponſ. ad calumniam de R. Pottr.

In Auſtrali, inquis, *Colonia non meliori loco res habentur; quæ vt notiores nobis fiant, huic Aquilonari Antiſtiti ſuccenturiandus erat Auſtralis præco, is nomine Figulus:* deinde currente orationis tuæ rota, longam nobis de figulo narras fabulam: Sed vbi ſunt accuſatores eius? ſi enim eum nemo accuſat, neque ego eum condemno; vtique nec defendo; ſed ei iudicium relinquo, qui viuos & mortuos iuſtè iudicabit. Interim verò quid hoc ad rem? nam ſi hæc quæ in Figulum dixiſti, non probas, vel ad neminem, vel ad eum ſolùm pertinent: Sicut nec ad vos, quæ veſtri faciunt, niſi ea ex religionis veſtræ

institutо fiant; possem enim, & ego de Iesuita non ita pridem intra pauca ab vrbe Dublinij milliaria, in lecto, non ignobilis fœminæ deprehenso dicere: Possem totam ferè Romanorum Sacerdotum gentem, quæ Kilkennię habitat, vbi & tu ipse, Analecta, moram trahere perhiberis, stupri & adulterii, idque bonis authoribus, accusare: Sed nolo ego quenquã alienę culpę inuidia premere, nedũ paucorũ crimen, ipsumq; incertũ ad omniũ dedecus & infamiã trahere. Veruntamen nequis Sacerdotes vestros nihil aliud in Hibernia agere, prętерquã Missas celebrare, putet: audi Analecta, quid inter mulierem quandam, in confinio Dublinij, & Sacerdotem Romanum non ita pridem accidisse dicitur. In ædibus probi & honesti viri diuersabatur Sacerdos Romanus: Is vir, mane quodam, vxorem suam in arctissimo Sacerdotis amplexu, & osculo hærentem reperit: & proh pudor, inquit, quid hoc est, quod ego video, mea vxor? at illa: Tu verò, mi vir, inquit, tace; quid enim? an tu sancti viri halitum mane salubrem esse nescis? Possem & alia, nisi quàm est facile, tam esset & turpe, in isto malè dicendi scribendique genere nimis cupidè versari, quo tu tamen, Analecta, ita veteris, vt non alio æquè delectari videare.

Itaque hic te Analecta monendum censeo, ne te nimium in isto genere exerceas: ne ingenii laus omnis, quæ non tibi nulla nunc est, dum ista sectaris, pereat. Ecce enim, quàm ineptè, in isto Analectorum tuorum articulo, vir alioqui non indoctus, rem geras: quanquam non Analecta omninò dicenda sunt, sed vilia fragmenta, nullo ordine consuta,

Pag. 231. art. 7.

ſuta, nulla rationis nexu inter ſe cohærentia; ſed velut ægri ſomnia, diſperſa & vaga, nec quicquam in ſe, aut ſani, aut ſobrij hominis habentia: de viſitatione ſtatus eccleſiaſtici ex Regali Commiſſione dicere inſtituiſti: In qua Proteſtantium flagitia detecta fuiſſe, ais; hoc probè: Sed tum Taloentibus Colonis in legibus ferendis ſuffragij ius eſſe negatis: quid hoc ad rem? Inde Britanniam ſæpe ſubiugatam fuiſſe memoras: at extra rhombum: tum Scotos omnes Hiberniæ Sobolem & vera Hibernorum genimina commemoras: poteſt id quidem eſſe verum: ſed nemo negabat: tum rurſus de mulctis ordinarijs renuentium adire Templa Proteſtantium quereris: inde quòd liberos veſtros apud Sacerdotes Romanos baptizare impunè non ſit, lamentaris; tum de Regalis viſitationis ſcopo diſſeris, tum Proregem Ciceſtrium lædis: eum vel eccleſias reparare, vel ſe ſuoſque ditare voluiſſe dicis: Ipſos deinde viſitatores reſtaurationem eccleſiarum ſollicitantes perſtitiſſe exclamas: *Quod niſi lingua Angelorum, ac manus Iacob non interueniſſent, minæ illæ miniſtrales*, inquis, *in ignem vrentem tranſituræ videbantur*: malè nimirum loqui vis, ſed commodè non potes: & dum falſa corruptionis & auaritiæ crimina inſontibus imponis, hæret tibi lingua, tremit manus, deficit ingenium; & verè de te Pſalmiſtæ illud vſurpare poſſim, *Turbatus es, & motus es, ſicut ebrius, & omnis ſapientia tua deuorata eſt.* Pag. 226. Pſal. 105.

Sed ne in tam longa oratione planè nihil feciſſe viderere, in illa Regali viſitatione Sedis Armacanæ prærogatiuam à Dublinienſi ſupploſam fuiſſe memoras: id ea ratione à te dictum conſtat, quoniam *Reſponſ. ad calumniam de prærogatiua Sedis Armachanæ ſupploſa.*

Pag. 227. iuxta ordinem in Diplomate Regio obseruatum, Archiepiscopus Dublinienſis primum & principalem locum tenuit: Armachanus verò ſecundo contentus ibat: in quo adeò impotentèr, te geris, vt veluti ſi vtraque res æquè etiamnum ad vos pertineret, non ſolùm primatum totius eccleſiæ competentem Romanæ Sedi, à nobis eiectum, ſed etiam Regni huius primatum, quem eccleſiæ Armacanæ olim competiſſe aſſeris, apud nos exoletum iam

Pag. 228. eſſe grauitèr conquerarè: *Nec contenti*, inquis, *Romæ æmulam Carthaginem condere, & Imperij Anglicani in Hibernia Metropolim, nuncupare eiuſdem eccleſiæ Primatiam, etiam omnibus modis laborant, antiquam ſcaturiginem funditùs tranſuertere ex ſuo alueo:* inde Dublinienſem eccleſiam *ambitioſam æmulatricem* appellas: Armachanam verò *cæterarum omnium nutricem, generatricem, & matricem* nuncupas; illam olim totum regnum quolibet ſeptennio viſitandi, illam cæteros Metropolitanos ad ſuum Tribunal, euocandi; illam lites cauſaſque grauiores deuolutione, appellatione vel aliis Iuris præeminentiis, & facti remediis, Primatiali authoritate terminandi, ius habuiſſe narras: Quid multa? vaniſſimas vulgi fabulas, & apud imperitam multitudinem receptas opiniones, pro veris, & certis, & rebus iudicatis ponere, eaſque nullo auctore, tui ſolius, velut locupletiſſimi hominis teſtimonio fretus, cui mortalium gratulaturus neſcio, litteris mandare non erubuiſti.

Sanè Analecta, notum eſt quod in euangelio ſcribitur, *Facta eſt contentio inter diſcipulos, vter eorum videretur eſſe maior:* quæ inter Diſcipulos primùm

mùm orta, futuris temporibus in Ecclesiam Christi, tanquam virus se diffudit, & in omnia corporis illius membra dimanauit; quas contentiones, si hic enumerare vellem, tacenda fortasse dicere, & seriò celanda temerè euulgare existimarer: Sed inter alias omnes Christiani orbis ecclesias, non aliam facilè reperies, quæ supremam quandam, non solùm inter fratres suos præeminentiam, sed etiam in eos potestatem & dominationem ardentiùs concupiuerit, quàm Amarchana in reliquas Hiberniæ ecclesias omnes olim affectauit. Quoniam tamen non ratione, non consilio aut iure freti, sed inconsiderato quodam dominandi ardore, ad litem hanc, tanquam ad pugnam, instructi procedebant, ideo semper victi redierunt, nec ex acie quicquam præter repulsam, & parum honestæ ambitionis vulnera reportarunt.

Non enim illud te latet Analecta, ante Iohannis Papironis in Hiberniam appulsum, qui inter alias aulæ Romanæ merces, quatuor pallia eodèm attulisse dicitur, nullos, vnquam, in Hibernia non dicam Primates, sed nec Archiepiscopos fuisse: is pro numero Palliorum quatuor instituit, sed eos inter se, nulla Iuris Prerogatiua, nulla potestate alteri in alterum concessa, pares esse iussit: vt Author est Cambrensis. *Cambrensis.*

Verùm vix dum decurso triginta annorum spatio, Armachani omnia conturbare cœperant: & visitandi ius cum in alios, tum in ipsum Archiepiscopum Dublinensem arrogabant: sed extant Lucij, extant Innocentij, extant Honorij tertij literæ, quibus impetus illi Armachanorum reprimebantur; sua verò dignitas Archiepiscopo Dublinensi & cæteris *In lib. nigro. Reg. St. Dublin.*

teris integra conseruabatur: & Armachani infra Prouinciam Dublinienſem crucem ſuam baiulare, (ſic enim loquebantur Monachi) vetabantur. Veruntamen Armachani nunc noctu, nunc interdiu, nunc clam, nunc vi aperta, cruces ſuas ante ſe erectas infra Prouinciam Dublinienſem geſtare perſtiterunt. Itaque vis vi repellebatur: deiectæque per iram ſunt cruces, quæ ſine iure erigebantur, periculumque ſæpè erat, ne partium ſtudio contentiones illæ ad cædem & ſanguinem peruenirent.

Cambdenus.

Sed enim *Richardus Dundalkiæ* oriundus, cuius etiamnum monumentum, quamuis truncum, ibi cernitur, ad regnum hoc in fratres ſuos occupandum, omnium maximè anhelabat: Is ad Armachanam ſedem prouectus, vir magna doctrina, & acri ingenio præditus, & cùm ſua, tum inſita loci & ſedis ſuperbia elatus, ne quid, in re tam auidè à maioribus ſuis concupita, intentatum relinqueret, Bullis quibuſdam, quas dolo malo à Pontifice Romano impetrauerat, fretus, in Angliam proficiſcitur, vbi mentitarum quarundam conſuetudinum obtentu, quo Pontificem fefellerat, etiam & Regem, Edwardum Tertium in fraudem impulit: & tam Bullarum, quàm conſuetudinum prætenſarum confirmationem ab eodem reportabat. Hac munitus, multa in alios eccleſiæ Epiſcopos, longè vero plura in Dublinienſem tanquam, in Riualem & æmulum iam deuictum inſolenter admodum & impotentis animi impetum ſequutus, attentabat: Donec Rex de rerum veritate certior redditus, & furioſis ſuperbiſſimi Præſulis conatibus obuiam eundum eſſe ratus, & literas ipſe ſuas per fraudem obtentas reuocauit,

cauit,& Armachano in reliquorum Archiepiſcoporum ordinem redacto, Dublinienſem ſuo iuri & ſplendori priſtino reſtituit. Longum eſſet litteras ipſas (binæ autem ſunt) recitare. Sed earum vis hæc eſt: Archiepiſcopum Armachanum non Primatem, ſed ſe talem prætendentem, id eſt, cum non ſit, fingentem appellat: Multa eum ſibi priuilegia Primatiæ, non iure, ſed iuris prætextu vindicaſſe aſſerit: literas à ſe falſitate ſuggeſta, & veritate tacita, impetratas, & ſurrepticias fuiſſe arguit; nec Armachanam, ſed Dublinienſem eccleſiam, ad patronatum regiũ ſpectantem, in Hibernia honorabiliorem cenſeri iubet: Præſulis deinde Armachani in aliena Prouincia viſitationem, nihil aliud, quàm nouitatem, vſurpationem & pacis publicæ perturbationem appellat: Deniq; Dublinienſis Archiepiſcopi iura, contra illi' conatus & impetus, à Prorege, & alijs regni Proceribus & Magiſtratibus defendi mandat. Non igitur Armachanus, vel intra Prouinciam alienam viſitare, vel inde, ſiue homines, ſiue cauſas, ad ſe aut Curiam ſuam, ſiue in prima inſtantia, ſiue in ſecunda, vel euocare, vel auocare potuit.

Litteræ prima date 8 Decemb. Anno Regni Angl. 24. Franc. vndec. Litteræ ſecun. Dat. 11. Maij: Anno 26. & Franc. 13. Ex veteri Regiſtro Dublin. quod dicitur Crede mihi.

Quæres fortaſſe an Archiepiſcopum Armachanum totius Hiberniæ Primatem dicendum nunc eſſe, negem: Ego verò non is ſum, qui terminos à maioribus poſitos temerè mouendos eſſe cenſeam. Video autem hac in re vetuſti cuiuſdam authoris Iohannis Alani teſtimonium: qui, Romæ cum eſſet, huius cauſæ veritatem diligentiſſimè perquiſiuit: *De hac*, inquit, *controuerſia, fuit proceſſus in Curia Romana incæptus tempore Innocentij Tertij, & poſtea*

Innocentij Sexti, id eſt, poſt centum & decem ferè annorum ſpatium terminatus: *In cuius Regiſtro*, inquit, *reperi prætaxatam litem ſopitam authoritate Papæ & approbante Collegio Cardinalium, ſub hac forma ſequente: (viz.) quòd vterque eſſet Primas, ſed ad diſtinctè ſcribendum Armachienſis intitularet ſe totius Hiberniæ Primatem, Dublinienſis autem exararet ſe Hiberniæ Primatem; inſtar* (inquit ſummus Pontifex) *in Anglia, Cantuarienſis, & Eboracenſis: quorum prior ſcribit ſe totius Angliæ Primatem, alter Angliæ Primatem.* Itaq; etſi tempore Edwardi Tertij Regis, de cuius literis, modò mentionem feci, non verus & legitimus, ſed vſurpator & prætenſus Primas diceretur: Poſtea tamen & ex Innocentij Sexti ſententia, huius tituli ius obtinuit, & obtinet in præſenti. Nunc igitur Analecta ad te redeo: Alter Hiberniæ, alter totius Hiberniæ Primas appellatur: quid inde? An tu ideo Armachanam illam, omnium Eccleſiarum matricem, veram cæterarum nutricem, ac genitricem fuiſſe clamas? ideo ab eius nutu pendere omnia? ideo eam iuriſdictionem in alias Regni Prouincias, & Eccleſias exercere, eaſque quolibet ſeptennio viſitare, cauſaſque ad ſe auocare, & appellationes recipere, aut debere aut omnino poſſe aſſeris? Atqui non ad regnum alteri in alterum tribuendum, ſed ad diſtinctè ſcribendum, differentiam illam inductam fuiſſe vides: neque enim aut Aquilegienſis, aut Gradenſis, aut Bituricenſis, magni illi & illuſtres, & quaſi maiorum gentium in orbe Chriſtiano Primates, hanc vnquam dominationem in fratres ſuos hoc titulo vindicabant. Ne Cantuarienſis quidem ille noſter, cuius tot tantaque & tam illuſtria

Primas totius Hiberniæ.

ſtria ſunt, non dicam ſupra Armachanum, ſed ſupra alios fere omnes Chriſtiani orbis Archiepiſcopos priuilegia, qui non ſolùm eodem cum illis tribus ordine conſtitit, ſed etiam Patriarcha olim, teſte Durando, & alterius orbis Papa apud veteres audiebat, inſcriptionis illius & tituli confidentia, hanc ſibi potentiam, aut viſitandi ius, in Eboracenſem, aut alias Regni huius Eccleſias, extra Prouinciam ſuam vendicat. *Speculator. tit. De Diſſenſation.*

Hanc igitur ſiue tuam, Analecta, de Potentia Armachana phreneſim, ſiue vulgi fabulam, & Regum noſtrorum literis & Pontificum veſtrorum decretis, iam olim refutatam, perpetuoque ſilentio traditam, fuiſſe vides. Vndè illæ de cruce portanda, de viſitandi poteſtate, & appellationum recipiendarum iure quæſtiones iam diù apud nos ſopitæ, vel potiùs ſepultæ iacuerunt: Recentior tamen, & illa quidem leuior, de loci Prærogatiua adhuc indeciſa reſtare videbatur: Etenim Armachani, cum cætera omnia, rebus toties iudicatis amiſiſſent, ſaltem, quòd totius Hiberniæ Primates dicerentur, loci & ſedis Prærogatiuam, vbique in Hibernia, atque adeo in ipſa Prouincia, & Diœceſi Dublinienſi ſibi deberi exiſtimabant: Id verò illis ſemper negatum fuit, & negabitur in æternum: extat nimirum ordo ſedendi in Parlamento, ſub hac quæ ſequitur verborum forma:

In Hibernia Rex ſedebit in medio Principalis ſcamni, & ad eius dexteram Archiepiſcopus loci, Armachanus vel Dublinienſis: & ſi extra eorum limites Parlamentum ſit, tum à dextris Regis Armachanus & Caſſelenſis, à ſiniſtris verò Dublinenſis & Tuamenſis ſedebunt: & ita mos obtinuit, vt neuter Primatum alteri in ſua *In Lib. Parlament.*

Prouincia vel in cruce portanda olim cederet, vel in loci Prærogatiua nunc cedat: Veruntamen virum grauissimum, suæque dignitatis memorem, Christopherum Armachiensem nunc Archiepiscopum, cum primùm ad sedem illam ascendisset, loci Prærogatiuam à Dublinienſi, non furiosè, non, vt veteres illi, vi, quod dicitur, & armis, sed qua decuit, repetisse nouimus: magis quidem, vt morem seruasse, quàm vt eandem auidè ambijsse videretur. Itaque ratione simul & authoritate victus facilè conticuit: & fraternis consilijs, quamuis reluctantèr acquieuit: vnde non minimam prudentiæ opinionem, & supra reliquos prædecessores suos, qui se in illa lite toties & tam inutilitèr fatigassent, moderati animi laudem reportauit: Quin etiam in Synodo Dublinij postea celebrata, ipse Dublinienſis Præsul primum, Armachanus verò, à primo proximum, ex sedis suæ Prærogatiua, locum tenuit: extinctaque nunc est illa discordiarum & contentionum flamma, quæ ex inconsiderata Armachanorum temeritate, & infita dominandi cupidine, in aperta sæpe bella & seditiones prorumpere olim minabatur: Quarum rerum, cum iam præterierint, cum iam summa in pace, otio, tranquillitate, viuitur, recordari, gratum potiùs quàm odiosum, & non solùm non molestum, sed etiam iucundum videri debet.

Tu verò, Analecta, magnã animi tui hiis in rebus cæcitatem prodis: dum ea quæ temerè à quibusuis effutiuntur, tanquam ex tripode, canere non reformidas: Quin & imperium ipsum Anglicanum, vt ex alijs multis, ita ex hac causa, tanquam magni alicuius sceleris reum & graui dignum reprehensio-

ne

ne esse putas: *Non contenti*, inquis, *Romæ æmulam Carthaginem condere*: Quid? tuné Armachiæ rudera, ruinis illa magis quàm ædificijs conspicua, Romæ comparas? Sed hoc temeritatis & insciti tuæ fuerit; videamus nunc & insaniam: *Armachana sedes*, inquit, *in tanta olim, & ab initio veneratione fuit, vt non modò Episcopi & Sacerdotes, & qui de Clero sunt, sed etiam Regũ & Principũ vniuersitas subiecta esset Metropolitano, & vnus ipse omnibus præesset.* An tu igitur Reges nostros, Analecta, non solùm Romani, verumetiam Armachani Pontificis imperijs subijcere meditaris? Nihil affirmo, inquis; *sed tamen Rex Alphinius, & omnes Dublinẽ ciues, vouerunt se olim & omnes posteros suos in seruitiũ sancti Patricij & Armachanorũ Primatũ.* Infœlix: quid hoc ad rem? Sepeliant mortui suos mortuos: alio nunc iure, alio nunc more viuitur: stultaque est & improba harum rerum, si veræ essent, commemoratio: quantò magis cùm falsæ? Sed addis & illud, *veram huius sedis honorificentiam inconcussam esse, nec videri aliter posse occumbere, quàm cum ipsa Catholica Religione, cum qua, & stetit*, inquis, *& resurget.* Quid? tuné igitur, Religionis Catholicæ salutem & vitam sedis Armachanæ spiritu & sanguine contineri putas? absit; occidit, quæ Constantinopoli, quæ Carthagine, quæ Alexandriæ erat ecclesia: omnes Asiæ, omnes Africæ, omnes Ægypti ecclesiæ occiderunt: nec Hipponi profuit, quòd Augustinum, nec Cæsareæ, quòd Basilium, nec Constantinopoli, quòd auriflui oris hominem, Chrysostomum, Episcopos habuerunt; sua Ciuitatibus sunt fata: suus Armachiæ finis erit; quic- Pag. 229.

quid oritur, moritur, verbum autem Domini manet in æternum: Cumque Armachia in cinerem & puluerem redigetur, viuet tamen fides, viuet religio, viuet Eccleſia Catholica; & huic ipſi, quam intuemur, mundi fabricæ ſuperſtes permanebit. Sed vereor, ne tantam ego fruſtrà inſumã operam: Vereor, ne tu, Romanus cùm ſis, Religionem non verè Catholicam, ſed Romanam intelligas: cum qua Armachanam eccleſiam, & ſtetiſſe, id eſt, imperium & regnum in reliquas obtinuiſſe aſſeris; & eandem potentiam rurſus olim habituram eſſe vaticinaris. Equidem Analecta, futura omnia à noſtris ſenſibus remota, & nobis inuiſibilia eſſe non ignoro: nedum is ſum qui ea aut curiosè ſcrutari velim, aut omninò perueſtigari poſſe, putem, quæ Deus in ſuo quaſi ſinu tecta & recondita eſſe voluit. Sed tamen religionem, & rem Romanam, tam iuſtis ex cauſis Hibernia nunc exulantem, aut nunquam, aut ſerò eodem reuerſuram eſſe confido. Tibi verò, quis in hac re, futura canenti crederet, cùm in rebus præſentibus & præteritis narrandis tam falſum te eſſe ſentiat? Enimuerò ſedem Armachanam, nullo vnquam tempore in tanta rerum fortuna, atque nunc eſt, poſitam fuiſſe affirmare audeo. Sed quoniam ad ingentes illas opes, quibus nunc abundat, (& diù abundet precor) immoderata inſuper dominandi potentia (cui Reges noſtri prudentiſſimè ſemper reſtiterunt,) non accedit, ideo eius Prærogatiuam & vim ſupploſam eſſe memoras, quo nihil aut iniurioſius, in reliquos huius regni Metropolitanos, aut in ſedem Armachanam inuidioſiùs, à te vel dici vel cogitari potuit.

Hæc

Hæc ſunt è multis pauca, quæ ad hanc rem dicenda eſſe exiſtimaui: de qua vtique hoc loco ſiluiſſem, ſi vlla in eccleſiis noſtris de ea nunc eſſet controuerſia: ne inter duas ſummas eccleſiæ noſtræ ſedes, ego me tanquam arbitrum & ſequeſtrum, vltro obtuliſſe viderer, aut mearum virium, quas planè nullas eſſe ſentio, confidentia, cauſæ ipſi præiudicium, non dicam attuliſſe, ſed afferre voluiſſe, exiſtimarer. Sed cùm pacata omnia domi nunc, & inter noſtros ſint; hominis, ſi fidem, ſi ſtudium, ſi voluntatem ſpectas, non noſtri, non Hiberni, ſed externi, & planè Romani inſcitiam refellere, & audaciam noſtro periculo ſe efferentem, & noua diſcordiarum incendia in noſtra eccleſia ſuſcitare conantem, compeſcere & coercere volui.

Verùm maius nunc parat facinus, iſte, quiſquis eſt Analectes, præ quo quicquid hactenus impiè, nefariè, ſeditiosè dictum fuit, nihil aliud, quàm velitatio leuis, & pugnæ ſimulachrum, vel potiùs præludium cenſeri debet: Neque enim nunc ampliùs Sedes Dublinienſis an Armachana amplioribus priuilegiis, nitatur, quærit. Sed tanquam externo Domino iam viam muniret, & de nouo & peregrino iugo huius regni ceruicibus imponendo, conſilia præſens agitaret: ita Regis noſtri, an Pontificis Romani in Hibernia ius melius ſit, in dubium reuocat: *Etenim*, inquit, *Ille, qui tranſtulit titulum, quadam lege & conditione expreſſa celebrauit iſtam Inſulæ abdicationem, quam pietas olim fecerat vectigalem: & obedientia firmauerat tributariam atque ſubiectam illi Cathedræ, à qua doctrinam æternæ ſalutis, initio conuerſionis ſuæ acceperat:*

Reſp. ad calumniam de Iure Pontif. Rom. in regnum Hiberniæ.

perat: atque iisdem is qui acceperat, eidem sedi & fidei vixit & obijt obsequentissimus: A quo igitur & quomodo abdicata, haec insula? & cui dicata? nempe a Romano Pontifice, Romanae fidei Catholicae Principi, Romana & Pontificia obedientia alumno: Addicta autem fuit intuitu propagandae fidei, quae tum vigebat, conditione etiam dilatandae religionis & obedientiae Romanae; quam ipse profitebatur: lege dena & & pacto recognoscendi iura illius ecclesiae per annuum censum pensitandum. Ista conuentione facta est illa translatio; istis & similibus conditionibus celebrata: Quòd si posteri eius qui dominium acceperat, in fraudem inducti, vel erroribus circumuenti, vel immemores pacti, vel ingrati in paciscentem, vel ira, vel odio abalienati, resiliant à lege inita, recedant à fide praestita, violent pactionis ceremoniam, & promissi sanctitatem: vtrum iure illo cadant, non est meum pronuntiare, viderint id Iuris periti: de facto quid sit testatur orbis Christianus.

Quid hoc est, Analecta? vtrum iure illo cadant, tuum non est, inquis, pronuntiare? quid? an quærere? an ambigere? an in dubium reuocare tuum est? ô Deum immortalem, in quæ tempora incidimus? Sacerdos Romanus de iure Regnorum quærit: & an Rex noster post quadringentorum & ampliùs annorum possessionem, Regno iure potiatur, dubitat: Quid dico, dubitat? immò perfidissimus Proditor, quod suum esse negat, pronunciat: quid? *hiccine est ille flosculorum fasciculus, quem clementissimi Principis nostri naribus delibandum porrigere statuisti? hae lilia Connallium? hŷ Areolarum vestrarum acanthi?* Hæccine est vestra in Regem & progeniem

In Epistola Dedicatoria ad Principem Carolum.

progeniem eius explorata fidelitas? hæc sponsionis tuæ vis? Vanos, tu, de fide vestra rumores Regijs auribꝰ insusurrari ais, cùm Regi ius regni apertè tollis, & Pontifici Romano per scelus tribuis? Quid? huius tu libelli Patronũ, Principem nostrũ ascíscere cogitabas? aut eius annos verborum lenociniis falli posse, perfide, sperabas? Tu filium Insularũ Britannicarum hæredem conspicuum nuncupas: & Patrem ipsum Regno Hiberniæ cecidisse narras? Sed, ne vt Analecta calumniis, ita & ego clamoribus rem agere voluisse videar: Agè, causam ipsam aggrediamur: Qua in re te primùm sereniſſime IACOBE Rex, supplicis animi genibus inclinatis rogo, vt huic temeritati meæ veniam benignius largiaris. Scio enim hanc Analectæ istius, istius inquam, perfidiſſimi Proditoris, audaciam, non verborum meorum, sed legum vestrarum aculeis esse vindicandam: Veruntamen in re tanta tacere nolui; non quòd sacræ vestræ Maiestatis ius & titulum verborum patrocinio egere putem; sed ne homines, vel nimis improbi, vel parùm prudentes, cùm in ista inciderint, silentium meum prauo sensu interpretentur; & quod apertis rationibus reuincere non possem, tacitum præterire voluisse credant.

A Romano igitur Pontifice, Insulam hanc Henrico secundo addictam fuisse scribis Analecta: nec eam purè, sed sub conditione, sub lege & pacto recognoscendi iura illius ecclesiæ per annuum censum addictam fuisse ais; ego contra, eam à Romano Pontifice Henrico illi, celebratiſſimi nominis, Anglorum Regi, siue purè, siue sub modo aut conditione

ditione datam, donatam, addictam, fuisse nego: Quòd si eiusmodi quid fecisse videri voluit Romanus ille vester: irritam tamen, & inutilem donationem fuisse aio: & tamen Regem nostrum regnum hoc vniuersum iure optimo, iustissimoque titulo possidere confirmo. Neque verò in re perspicua oratione longa vtendum puto. Ipsam igitur Adriani quarti Pontificis Romani Bullam, qua regnum hoc in Henricum Regem transtulisse dicitur, audiamus.

Bulla ADRIANI.

Hæc est igitur Pontificis Romani Bulla: Tu verò Analecta, terram Hiberniæ, ex hac Bulla Anglorum Regi datam, donatam, addictam fuisse, si potes, doce; primò enim Regni huius ius & dominium, Regem à Pontifice petiisse nego. Cùm enim terram hanc inuadendi rationem iniisset, non à Pontifice veniam, non licentiam, non ius aut titulum, sed ad res expeditiùs agendas consilium requisiuit: *Ad id*, inquit, *conuenientiùs exequendum consilium Apostolicæ Sedis, exigis & fauorē*: Etsi enim nulla vnquam, ante id tempus, erat apud Hiberniæ populum Romani Pontificis, aut illius Sedis gratia, apud Clerum tamen, quem paucis ante annis, missis eo, vt dixi, quatuor Palliis, sibi conciliauerat, authoritatem videbatur non mediocrem esse assequutus. Nihil igitur à Pontifice Romano voluit Rex, quàm vt eius fauore, Cleri obsequium consequeretur: omnia enim verba vel statera vel trutina perpende, omnes syllabas aucupare, omnes apices excute, nihil iuris, nullum tituli colorem, nihil præter consilium & fauorem aut à Rege petitum, aut à Pontifice

Pontifice datum fuisse reperies: *Si*, inquit, *quod concepisti animo, effectu duxeris prosequente complendum: Stude gentem illam bonis moribus informare; agas per te & alios, vt decoretur Ecclesia.* Multum hic consilii, multum fauoris, video: Iuris, tituli, dominii translati nihil: nam quod additur? *Et illius terræ populus honorificè te recipiat, & sicut Dominum veneretur:* auspicati voti sunt, & benedictionis voces, non concessionis. Nec quenquam mouere debet quod à Cambrensi dicitur: *Henricum Regem directis ad Curiam Romanam nuntijs, ab Alexandro Tertio priuilegium postea impetrasse, eiusdem authoritate & assensu, Hibernico populo dominandi.* Hoc enim ipsum satis indicat non eum à Romano Pontifice ius & titulum, sed assensum & approbationem quæsiuisse: hoc est enim *autorem fieri.* Quinimo non solius Pontificis Romani hac in re accessit autoritas, & approbatio, sed aliorum etiam Regum & Principum, vt idem Cambrensis attestatur; *Summorum*, inquit, *Pontificum, totiusq; christianitatis Principum & Primatum confirmans accessit autoritas:* ex quo liquet, autoritatem hanc, non Iuris aut dominii conferendi fuisse, sed Consilii, quod tum à Rege inibatur, approbandi. Nec mirum cuiquam videri debet, si Romanorum Pontificum, præter cæteros, amicitiam & fauorem expetiuit Rex: erant enim ij homines, quibus nullos aut magis amicos, aut minùs inimicos malles. Multum enim apud prudentes, apud imperitam verò multitudinem autoritate omnia poterant: magnique semper illis temporibus momenti res erat, in quamcunq; partem se inclinauerant. Itaque

Cambrens.

prudentissimi semper Principes, vana Pontificis Romani gloria, & stolida rerum & regnorum vendicatione, ad rudium & agrestium hominum terrorem, suasque rationes facilius conficiendas libenter sæpè abutebantur: Rebus deinde ad votum compositis, spreto Pontifice, ipsi se suo iure tuebantur.

At enim Henricus iura illius ecclesiæ, per annuum censum pensitandum recognoscebat. Audi igitur Adriani Bullæ verba: *Significasti*, inquit, *nobis te Hiberniæ Insulam velle intrare, & de singulis domibus annuam vnius denarij beato Petro velle soluere pensionem.* Quid? ego pensionem, è fundo vel prædio meo exeuntem constituere non possum, quin statim dominio meo, ex eo, fiat præiudicium? quàm multæ è beneficijs, ad diuersos vsus annuatim soluendæ exeunt pensiones, ipsa interim aduocatione, & fructuum proprietate, siue dominio, penes Dominum permanente? & hanc tu pensionem, Analecta, censum, vectigal, tributum esse vis. Quæres autem, si tributum non sit, quo alio nomine eam appellandam esse censeam? Erat nimirùm à Pontifice cum Rege, de Hibernia subiuganda communicati consilii, & præstiti assensus, pretium, merces, salarium; Aliorum enim Principum, quorum in hac re autoritas requirebatur, gratuitus erat consensus: solus Romanus, pretio emptus, mercede conductus, annuæ pensionis sponsione corruptus, non solùm assensum, sed etiam operam & consilium Regi præbuit. Neque enim Dei cultum, aut Christi fidem, sed suum lucrum, suum commodum, suum, quod in Hibernia nunquam antea obtinere potuit, obsequium spectabat Papa. Etenim quod

sæpe

ſæpe ante monui, ante Henrici in Hiberniam aduentum, Romano more in Hibernia non viuebatur, ſed magis Græco: ſatis enim ex hiſtorijs liquet ante Malachiã, qui circa annum 1140. vixerat, ipſam illã ſedẽ Armachanã ab vxoratis Epiſcopis per ducentos & amplius annos fuiſſe poſſeſſam. Quid? hoc tu vtrũ more Romano geſtũ dicis? an ad Græcorũ exemplũ comparatũ fuiſſe negas? neutrũ potes, Analecta: Neq; ipſe Alexander Papa, hoc ipſum diſſimulabat, cum in fine literarũ ſuarum illud adderet: *Quatenus*, inquit, *eliminatis terræ illius ſpurcitijs, barbara natio, quæ Chriſtiano cenſetur nomine, veſtra diligentia morũ induat venuſtatẽ, & redacta in formã hactenus informi finiũ illorũ Eccleſia, gens ea per vos Chriſtianæ profeſſionis nomen cũ effectu de cætero conſequatur*: Nempè quia Romanæ obedientiæ ſubditi non erant, ideò Pontifex iſte illos, vt olim Hadrianus ſecundus Bulgaros, quòd Spreta Romana, Eccleſiæ Græcæ adhæſiſſent, vix Chriſtianos fuiſſe calumniatur; informem finium illorum Eccleſiam appellat, quòd Romanæ Eccleſiæ conformis non eſſet: Audi verò & Cambrenſem. *Gens*, inquit, *hæc, gens ſpurciſſima, gens vitijs involutiſſima, gens omnium gentium in fidei rudimentis inculiſſima*; ſed cur ita Giralde? *nondum enim*, inquit, *decimas vel Primitias ſolvunt; nondum matrimonia contrahunt, non inceſtus vitant, non Eccleſiam Dei cum debita reverentia frequentant; quin imò quod valdè deteſtabile eſt, & non tantum fidei, ſed & cuilibet honeſtati valdè contrarium, fratres pluribus per Hiberniam locis fratrum defunctorum vxores ducunt*: Euge Giralde; quid hoc ſit ſpurcitiarum videamus; decimas Hiberni & Primi-

Bernardus in vita Malachiæ.

tias non ſoluebant: quid? an nec oblationes faciebant? atqui conſtat, gentem hanc in oblationibus faciendis fuiſſe deuotiſſimam: Quid? quod Rex ipſe Alphinius, & omnes Dublinij Ciues, ſi quid Ioſelino Monacho, ſi quid huic noſtro Analectæ credimus, ſe omneſque poſteros ſuos, in ſeruitutem Sancti Patricij, & Armachanorum Primatum deuouerunt: Et ex ſingulis nauibus, quæ in portum Dublin. appellerent, certam illi portionem conſtituebant; At decimas & Primitias non ſoluebant: credo, neque enim extorquendæ erant decimæ, vbi oblationes fiebant voluntariæ. Magna enim mihi ſemper fuit dubitatio, vtrum nimis rigida decimarum exactio, oblationes fugauerit ex Eccleſia, an oblationum ſubtractio, decimas exigendi neceſſitatem intulerit in Eccleſiam; & hanc tu ſpurcitiam, barbariem, vitiorum cumulum, & in Eccleſiæ rudimentis, ruditatem appellas? At matrimonia non contrahebant; vndè igitur fatalis illius belli initium factum? an non ex eo, quòd Dermitius Murchardus Lageniæ Rex, ô Roricij Regis Midiæ vxorem rapuit? quòd ſi nulla in Hibernia matrimonia, vndè vxores? vndè liberi? vndè ſucceſſiones? patrimonia? hereditates? Quid verò Concilium illud Caſſelenſe? an vt deinde matrimonia in Hibernia contraherentur, edicebat? nihil minus: Quid ergo? *Vt vniuerſi in Hibernia fideles, repudiato cognatarum & affinium contubernio, legitima contrahant matrimonia & obſeruent.*

Cambrenſis de expug. Hibern. c. 34.

Quoniam igitur Hiberni veterem Eccleſiæ normam, Ius Diuinum, Ius Ciuile, Ius Gentium ſequuti, in quarto, tertio, forſitan in ſecundo conſanguinitatis

guinitatis gradu nuptias contrahebant, ideò nullas eas, & incestuosas, Romanæ religionis homines appellabant? Sed illud inprimis in gente barbara abominandum videbatur, *quòd fratres fratrum defunctorum vxores ducerent.* Ego verò morem hunc, non probo; cur tamen hoc, barbaries, spurcitia, aut incestus, appellari debeat, non intelligo. Iure certè, diuino, si frater absque liberis mortuus fuerat, vxor defuncti alteri non nubebat: *Sed accipiebat eam frater eius, & suscitabat semen fratris sui:* Quod igitur lege diuina certo in casu, necessitatis erat, in reliquis spurcities, & incestus appellari non debet. Sed nec Primitiuæ Ecclesiæ tempore res hæc inaudita fuit; extant enim Theodosij, extant Leonis Imperatorum leges; quibus huiusmodi nuptiarum licentia summouetur: quæ quidem leges omnino latæ non essent, si tales nuptiæ illo tempore in vsu non fuissent. Ergo, inquis, legum latores tales nuptias fieri vetuerunt: fateor, sed vetuisse contenti, eas legibus infirmas, & inutiles, non spurcas & barbaras dici voluerunt. Possem & ex diuo Basilio ostendere rem hanc variè olim in Græca Ecclesia fuisse agitatam: Sed ad recentiora venio: Carolus ille cognomento Caluus, Gallorum Rex: Quid? an non Richildem Lotharij fratris sui defuncti viduam in vxorẽ duxit? at author est Aymoynus Monachus, qui illorum temporum historiam diligentissimè perscripsit. Quid patrum ferè nostrorum memoria Emanuel Rex Portugalliæ? an non Isabellam Ferdinandi Castellæ Regis filiam primùm vxorem duxit, & ex ea filium quendam Michaelem suscepit? ea deinde mortua, an non Mariam eodem Patre genitam,

Cod. de Incest. & inutil. nuptijs l. 5. & l. licet. eod. tit.

In Epist. ad Amphilogium. Item in Ep. ad Diodorum.

Aimoinus Monachus, lib. 5 cap. 25.

Peucerus, lib. 7. Chron. cap. Portugalliæ.

ijsdem

ijſdem parentibus oriundam nuptiarũ fœdere ſibi ſociauit? Si igitur vni viro duas ſorores ducere licuit; cur non vni mulieri duobus fratribus nubere licebit? Sed quid ego peregrina narro? Henricus, ille, Regni Pontificij in Anglia, & in hac ipſa Hibernia ſubuerſor, qui primus Papam vinci poſſe docuit, An non Arthuri fratris ſui viduam Catharinam, eiuſdem Ferdinandi alteram filiam, Papa diſpenſante nuptiarum Iure habuit? Elige igitur, vtrum vis, Giralde. (Tecum enim nunc vt cum præſente loquor) vel Papam ad nuptias ſpurcas, barbaras, inceſtuoſas, abominandas, iuri diuino ſimul & humano contrarias, diſpenſaſſe; vel nuptias inter Titium & fratris ſui defuncti viduam initas, eas eſſe fateare, quæ ſi abſque peccato in Eccleſia tolerari nequeant, tamen ſine pudore in Repub. nominari poſſint. At Iuri Canonico contrariæ erant: Nihil mirum; ſic enim, & aliæ, in quarto, tertio, & ſecundo conſanguinitatis gradu initæ; cum iure diuino probentur, Canonico tamen condemnantur; Quoniam igitur Hibernia ſuis potiùs & Eccleſiæ ſuæ legibus viuere maluit, quàm Romanis Canonibus ſeruire: ideò Alexander Papa, in ſuis literis, mores gentis huius, ſpurcitias, & Eccleſiam informem, gentem verò ipſam, barbaram, & Chriſtiano quidem nomine cenſitam, ſed tam ſancti nominis effectu deſtitutam, & informem ſub Henrici noſtri imperio redigendam eſſe declarauit: Ac, ne quis, alias, quàm has ab Alexandro ſpurcitias intelligi exiſtimet, Ipſe Giraldus ſpurcitias has, in Synodo Caſſelenſi per induſtriam quæſitas & ad Curiam Romanam miſſas, & Alexandri literas deſuper impetratas fuiſſe docet: Itaq; quod

De Hibern. expugn.

quod antè dixi, verum esse patet, Hiberniam ante Henrici nostri in eam ingressum, suis Legibus & moribus contentam, Romanas semper consuetudines & Canones fuisse aspernatam: Quos vt Adrianus primò, deinde & Alexander in eam inueherent, omnem suam operam, consilium & fauorem Henrico nostro in eadem subiuganda præbuerunt: vt hinc, & quàm antiqua sit in hac terra Romanæ Ecclesiæ disciplina, & ad quid illis profuerit, qui has res scire cupiunt, intelligant Hiberni. Pensio igitur, vt dixi, illa non census, non tributum, non Dominij translati lex, sed sociati fœderis & communicati à Papa cum Rege consilij, precium, merces, stipendium erat: Hac enim pactione, hoc fœdere cum Papa inito, multo maiorem & potentiorem cleri partem sibi Rex obstrictam, & oppignoratam habuit, & Papa quoties opus esset, Hibernos rebelles, signo à Rege dato, excommunicabat.

Sed esto: Hiberniam Rex olim adeptus est, *Salua beato Petro, & Romanæ Ecclesiæ, de singulis domibus annua vnius denarij pensione.* At quo modo salua? *Sicut in Anglia*, inquit, *sic in Hibernia.* Quid? an census? an vectigalis? an tributi nomine in Anglia pendebatur? nihil minus; quo igitur? si me audis, liberalitatis & eleemosynarum: quibus, cum se Romanus Pontifex multa & nefaria, in Reges nostros, & communem Patriam moliendo, iam olim indignum reddidisset, communi omnium consensu illo liberalitatis nostræ munere carere cœpit: sin Pontificem Romanum audire mauis, non dominij, illa, sed fictę cuiusdã visitationis ratione, soluebatur. Sic enim ipse ille Alexander Tertius, qui mercedem

hanc à Rege in Hibernia paciscebatur, ad Archidiaconos, id est, ad Collectores suos, per Angliam constitutos scribens loquitur: *Cum propter Beati Petri visitationem, denariorum collectam, per Archidiaconatus vestros feceritis, Ecclesias, vel parochias non gravetis.*

cap. ea quæ 10. de censibus cum glossa, ibid.

Pensionem igitur illam non census, non vectigalis, non tributi, sed collectæ nomine ab ipso Pontifice, & ipso illo tempore appellari vides, Nec iure dominij, sed ratione visitationis, & quasi simplex quædam procuratio exigebatur: Si igitur in Anglia collecta dicebatur, Qua tu ratione in Hibernia Vectigal nominas? Si ratione visitationis in Anglia pendebatur, Quo tu ore, Dominij & Tributi nomine in Hibernia deberi doces? scilicet: vt ea non soluta, regnum ad Pontificem Romanum iure fœdi redijsse doceas: Sed instat improbus, & *addicta*, inquit, *fuit hæc insula conditione dilatandæ Religionis Romanæ.* Bullas igitur, Analecta, siue Adriani, siue Alexandri, quàm potes, diligentissimè, reuolue; nihil in illis de religione Romana, scriptum reperies: quid ergo est? Alexander, *Non rem religionis spectare se, sed vnicum desiderij sui fructũ annuæ pensionis solutionem se attendere* profitetur: Adrianus verò, quid? *Gratum*, inquit, *& acceptum habemus, vt pro dilatandis Ecclesiæ terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus, & virtutibus inserendis, próque Christianæ religionis augmento insulam illam ingrediare:* Ecce Analecta; non pro Romanæ, sed pro Christianæ religionis augmento, Regem terram hanc ingressam fuisse vides; aut hanc igitur conditionem defectam esse, probes, oportet,

aut

aut nihil agis: Finge tamen de Romana religione fuisse cautum: an si illa meliorem, puriorem, voci simul & voluntati diuinæ magis conuenientem, nunc foueamus, etiam adhuc, conditionem defectam esse, vociferaberis? non opinor; neq; enim, vt puto, eò vsque insaniæ progrediere, quo Cresswellus ille nostrâs, in suo Philopatore: qui cum contra Henrici quarti Gallorum Regis ius & titulum disputaret: *Dicet*, inquit, *fortasse Nauarræus, Ego religionem saniorem induco: sed hoc ad rem nullo modo pertinet: tenetur enim Romanam defendere:* quid ergo si Romana quæ fuerat, postea praua, falsa, hæretica, denique non Christiana, esse cœperit? etiamnum illam, contra veram, orthodoxam, Catholicam & Euangelicam defendere tenemur? Si Cresswellum audimus, omni modo: Tu verò, Analecta, etsi nefario, & planè proditorio animo, aduersus Maiestatem Regiam insurgis, diuinam tamen tam apertè lædere forsitan formidabis. Atqui, vt dixi, nulla est conditio, nec de religione Romana mentio, de Christiana est: nostram igitur, quam colimus, quam fouemus, quam, pulsa Romana, in Hibernia modis omnibus crescere cupimus religionem, si Christianam esse negas; blasphemus es, & impius: sin esse negare nequeas, conditionē in quam pacto conuentum fuisse somnias, impletam esse fateri cogeris. *Cresswellus in Philopat.*

Sed demus, omnia; Insulam hanc à Papa, idque sub certo vectigali, sub Romanæ religionis tuendæ, & propagandæ conditione, *Henrico* Regi, eiusque successoribus addictam esse: finge etiam, quantum vis, nos in conditione defeciſſe: quid ergo? an ideo

Regni iure Regem nostrum cecidisse dices? quid ni dicam? inquies? Quid igitur, si Papa nullo iure addixit? quid si ius addicendi non habuit? Quid si victor ille Henricus, & successores eius, illo titulo nunquam possidebant? quid denique si Rex noster illo titulo non possideat? tamennè, illo iure, & titulo, quo nunquã possidebat, cecidisse existimabitur? Atqui notissima iuris regula est, & à te ipso, Anacta, vsurpata, *neminem posse plus iuris in alterum transferre, quàm ipse habet*: Nihil autem in hac terra iuris Romanus habuit, nullum igitur ius in Regem transferre potuit: quem tamen, qualemque sibi titulum confinxit aliquando Adrianus Papa, cernite. Cum enim Rex ab eo consilium peteret, *Sanè*, inquit Pontifex, *Hiberniam & omnes Insulas, quibus sol iustitiæ Christus illuxit, ad ius beati Petri & sacrosanctæ matris Romanæ Ecclesiæ, non est dubium pertinere.* Quid verò, hoc est aliud, quàm quod de se prædicabat Diabolus, *Omnia*, inquit, *mundi regna mihi tradita sunt, & cui volo, dono illa*: Quid ergo? an quia hæc sibi dæmon arrogabat, ideo eum Regnorum & Imperiorum omnium Dominum & largitorem agnoscemus? aut cum Regnum de gente ad gentem transferri cernimus, non Deum, sed Dæmonem huius consilij & mutationis authorem suspiciemus? Minimè verò, inquies; sed tamen Insulas omnes ad Romanum Pontificem spectare nouimus: Quo verò Iure? neque enim in illa Constantini donatione continentur: an verò istas Pontificum vestrorum fabulas & fraudes à viris prudentibus pariter & imprudentibus nunc dierum, fobsannari & risui haberi non intelligis? Nullum, inquam, ius in Hiber-

nia

nia habuit Romanus Pontifex, nullum igitur ius in Regem Henricum transferre potuit; quòd si nullum, in Reges nostros à Pontificibus ius translatum fuit, vtique nec iure illo vnquam cecidisse videri possunt, quo nunquam possidebant. Quid igitur? nullone titulo Rex possidet Hiberniam? immò optimo eum iure possidere aio. Hibernia enim, Henrico illi secundo, hæredibus & successoribus suis, deditione in manus venit: rursus dico; Hibernia, non Romani Pontificis donatione, non concessione, non vllo à Pontifice, quæsito titulo, sed Regum & Populorum, qui tum in ea erant, voluntaria & spontanea deditione in manus & fidem Henrici secundi, hæredum & successorum suorum venit. Illud verò ego nunc, non confictis rationibus, sed fide historica demonstrabo: Primùm enim Dermitium Murchardum anno Domini millesimo centesimo septuagesimo, Lageniæ in Hibernia Regem fuisse patet: Is Regno suo, ab Ororicio Rege Midensi pulsus, in Angliam auxilium ab Henrico petiturus profugit: Rex aliis bellis illo tempore implicatus, ipse auxilium ferre nec voluit, nec potuit.: Si qui tamen ex suis essent, qui priuatis opibus, ei auxilio esse vellent, non abnuebat: egit igitur Dermitius, cum Richardo de Arcuforte, Comite Strigalensi, Cambro, eique si auxilio esse vellet, filiam primogenitam cum regni successione despondebat. Hac conditione, præmissis Stephanide, Mauritio, Reimundo, & Herueio, ipse proxima æstate in Hiberniam traiecit cum exercitu; deuictisque Rebellibus, & Vrbibus per totam Lageniam, quæ dedere se nollent, vi expugnatis: *Cambrensis.*

natis, Dermitium in Regni auiti solio collocauit: & ex pacto filiam eius natu maiorem, nomine Enam, tanquam alterius mundi matrem futuram cum dote promissa, vxorem duxit. Hic igitur Richardus totius Lageniæ Dominium iure dotis possidens, Dubliniam vrbem, Regni caput, vrbesque maritimas, & Castra omnia, Regi concessit: Residuum verò de Rege & hæredibus Regis, ipse & hæredes sui feodi nomine tenebãt. Anno deinde millesimo centesimo septuagesimo secundo, Rex ipse in Hiberniam cum classe appulit, & Lageniæ regnũ, suũ iam Richardi cessione factũ, occupauit; & Stephanidẽ, quòd quædã contra Hibernos, ausu temerario, & vltra mandati fines, attentasset, in vincula coniecit; quam Regis optimi iustitiam, reliqui terrę illius Reguli statim admirati, omnes se ei certatim dediderunt: nec mora, Dermitius alter, Rex Corcagensis, ad eum venit, & tam subiectionis vinculo, quàm fidelitatis sacramento, necnon obsidibus datis, firmitèr obstrictus, annuo constituto Regni sui tributo, se Anglorum Regi sponte submisit, inquit Giraldus: Idem paulò post, Duuenaldus Limiriciæ, & alii omnes Australis Hiberniæ Principes fecerunt: & constituto suo quilibet Regno tributo, firmissimis subiectionis vinculis se Regi fideles exhibuerunt: Rex deinde per Ossyriam, pacato agmine Dubliniam venit: Ibi mora aliquandiu facta, aduenium quoque finium illorum Principes, &, vt verbis eiusdem Cambrensis vtar, *sub fidelitatis, & subiectionis obtentu, vt finium illorum Principes, à Rege pissimo pacem obnixè postulabant.* Néue hoc à Regulis aut Dynastis solummodò factum putes,

Giral. de Hibern. expugn.

putes, ipſe Ororicius, cognomento monoculus, Midiæ Rex, eo tempore Regi ſe Regnumque ſuum, ſicut alii, fidelitatem, & ſubiectionem ſpondendo, dedidit: poſtremò & ipſe Rothericus Connaciæ Princeps, & totius Hiberniæ Rex, ſiue Monarcha, *conſtituto Regni ſui tributo, firmiſſimis ſe fidelitatis & ſubiectionis vinculis innodauit.* Soli reſtabant Vltonienſes: qui tamen ipſi, totius Inſulæ Monarcha Rothorico in Regis Anglorum ditionem concedente, ſimul in eiuſdem Dominij poteſtatem iure veniſſe intelliguntur: Quod quoniam agnoſcere noluerunt, ideo Iohannes Curcæus, in eam ingreſſus, quatuor præliis, varia fortuna commiſſis, quinto demùm, ad Pontem Iuorienſem, magna Clade Hibernos vicit; victoſque in Anglorum poteſtatem redegit, & eorum Imperio ſubiugauit. Eo deinde ſine prole defuncto, Rex idem totam illam prouinciam Hugoni Laceo, eiuſque hæredibus in feodum conceſſit: is filiam vnicam reliquit; quæ Redmundo de Burgo enupta fuit; cuius proneptis itidem, filiam vnicam hæredem reliquit; ea autem Leonello Duci Clarentiæ inclyti illius Regis Edwardi tertii filio nupſit; ex qua filiam etiam Philippam nomine vnicam ſuſcepit: quæ poſtea Edmundo de Mortuo mare, Comiti Merciæ, enupſit, ex quo matrimonio editus eſt nobilis ille Rogerus Mortimerus, qui liberos Edmundum, Annam & Elynoram iuſto & legitimo matrimonio conceptos habuit: Elynora verò & Edmundo ſine liberis defunctis, Anna ſuperſtes Richardo Cantabrigienſi, filio Edmundi Langlei Ducis Eboracenſis, Patrueli ſuo in matrimonium data fuit: Ex illo verò Richardo

Cambrenſis de exp. Hib. vn. cap. 18.

Richardo natus est Richardus; ex quo Edwardus quartus; cuius filia Elizabetha, Henrico septimo, magno horum regnorum bono, matrimonio iunctam fuisse nouimus; & sic, præterquam Regni, etiam hæreditario, vt inter priuatos, Iure, illa Hiberniæ Prouincia, quæ Vltonia dicitur, ad Henricum octauum, eoque & eius liberis defunctis, ad Sereniſſimum in Christo Principem Iacobvm nostrum Margaretæ Henrici septimi filiæ, Henrici verò octaui sororis natu maximæ, nepotem fœlicitèr descendit, & in eo, eiusque semine per Dei gratiam in æternum stabilietur. Hic est igitur titulus, quo Magnæ Britanniæ Rex Hiberniam possidet: Omnis nimirùm Hibernia primùm in Henrici secundi potestatem, vel sponte sua, vel belli iure venit: seque illi firmissimis fidei & subiectionis vinculis obstrinxit: Quod si innato vitio, & nimia animorum leuitate, à fide postea resiliebant, fidei tamen & fidelitatis promissæ vinculo propterea non soluebantur: Prudentèr enim Giraldus; *In contrahendo, liberi*, inquit, *sumus, in distrahendo non item*, bellumque incipere, vel ignaui possunt, deponere, non nisi, victori licet. Tu verò, Analecta, hæc omnia clausis oculis prætereunda esse putas; & Insulam hanc à Romano Pontifice, certis conditionibus Henrico secundo datam, donatam, addictam fuisse scribis; vt legibus illis ex parte nostra non seruatis, Reges nostros iure regni cecidisse probes; qua tamen de re, tu, qua es animi moderatione, nihil temerè pronuntiare vis: sed eam totam & integram Iurisperitorum arbitrio permittis. Quorum verò? an nostrorum? at hij rebellem,

bellem, perduellem, hostem, proditorem, & te & Iurisconsultum, qui te docuit, esse clamant: vestrorum igitur, opinor; qui si eadem quæ tu, in hac causa sentirent, meritò illi non solùm è foro, sed etiam è vita tollerentur. Veruntamen si Pontifex ille vester, Hiberniæ glebam ad se pertinere putat, veniat ipse, & rem ferro repetat: sentiet per Dei gratiam, eundem nobis in hac terra tuenda, animũ esse, qui maioribus nostris in ea acquirenda fuit. Nam quod ad te, Analecta, spectat, satis tu quidem nunc ostendis, nec id vltra iam dissimulare potes, te non, quod videri vis, religionis vestræ rem spectare, sed nouo imperio studere, & de externo Domino cogitare: nec aliò spectare Analecta, tua, quàm vt populo longæ paci iam assueto, & legitimi Imperii dulcedine læto, religionem incutiant, & ad nouos tumultus, iuris prętextu, & pietatis obtentu concitent: ni esset, nunquam tu hoc tam nefarium, tam sceleratum, & proditorium consilium iniisses: Quod non ideo à me dictum putes, quasi metus sit, ne ex hac insania tua, aliquid vel Regio iuri præiudicij, vel communi omnium tranquillitati, periculi crearetur: sed vt animum tuum sub vulpe latentem detegam, nec te, qui Analecta illa tua, nefario ausu, illustrissimo Principi dicare, & in eisdem Serenissimum Regem ita crebrò interpellare, non dubitasti, quicquam aliud quàm pestem & perniciem, (quam Deus vt hactenùs semper auertat) vtrique meditari probem.

Si verò ista tam nefaria in Regem ipsum moliaris, quid mirum, si in Regis ministros, & Regni magistratus maledicta nequitèr iactare audeas? *Respons. ad calumnias coniectas in Cicestrium Proregem.*

Sed inter omnes, vnum Ciceſtrium, Baronem Belfaſtenſem, virum fortem, conſtantem, prudentem, bonum, maledictis laceſcere, & conuitiis ſemper
Pag. 234, & 270. onerare pergis: Illum *Hibernorum nationis aduerſarium, pacis & libertatis eorum inimicum, otij & publicæ tranquillitatis perturbatorem, belli facem & Anteſignanũ, Satanũ & Gentilicię libertatis hoſtẽ, iuratũ vocas: illum implacabili odio aduerſus veſtram gentem ſæuiſſe, neminem illo duriùs, fortiùs, diutiùs, ſuper Hibernorum maxillam manum exaltaſſe, ſolum denig. Ciceſtrium omnium hæreditates ſubuertiſſe, omnium fortunas exturbaſſe* clamas. Quid igitur egit Ciceſtrius? Mihi enim profectò, è multis illis quæ pro huius gentis ſalute, commodo, tranquillitate geſſit, pauca quædam animo repetenti, Patroni quàm inimici, & acerrimi defenſoris, quàm iurati hoſtis loco habendus videtur: Iam primùm omnium, cùm Prouinciam hanc in ſe ſuſciperet, qualem quæſo Hiberniam inuenit? nempè longo & cruento bello penitùs exhauſtam, inanem, vacuam, lupis ferè magis quàm hominibus frequentem; qui verò tam graui bello ſuperſtites remanſerant, iis pax ipſa bello, & lex gladio formidabilior videbatur: veritis ſcilicet, ne legum nunc acies in ipſorum ceruices, in veterum delictorum vindictam ſtringeretur. Quid igitur Ciceſtrius? an iacentibus inſultabat? an vt
De Repub. lib. 8. olim Plato, *Cum fucis fauos eijciendos eſſe cenſuit?* an, quod facile tum factu videbatur, ipſam Hibernorum gentem & nomen extinguendum eſſe dixit? an denique durioris vnquam ſententiæ author fuit? quin potiùs litteris ſuis, apud clementiſſimum Regem obnixè egit, vt veterum delictorum omnium,

furti,

furti, rapinæ, cædis, belli, Maiestatis denique quoquo modo læsæ, gratiam omnibus vbique facere dignaretur. Egit, inquam, & obtinuit: qua Sereniſſimi Regis gratia ſemel promulgata, tum vrbes ſuis rebus fidere, ſilvæ deſeri, rura frequentari, agri coli cœperunt: tum pax populo reſtituta, lux omnium oculis ſuborta, & ipſa Hibernia, quæ ſuo antea ſanguine fædata iacuit, caput attollere, & ab inferis, vt ita dicam, reuocata, reſpirare, viuere, & ipſa ſibi reddita eſſe videbatur. Regis, inquies, hæc erat gratia: Regii animi miſericordia, & clementiſſimi Principis in populum iſtum indulgentia: libentèr audio: ſed tamen qui hoc Regi conſilium dedit, qui de amneſtia illa, & gratuita delictorum obliuione inducenda interceſſor apud Regem erat; eumné tu, *huius gentis aduerſarium, gentilitiæ libertatis inimicum, & ipſius Hiberniæ hoſtem iuratum* appellare audes? Nam ſi bellum voluit, cur tam firmũ pacis fundamentũ iecit? ſi huius gentis exitium quæſiuit, cur populo vniuerſo ſalutis author fuit? ſi ſanguinẽ ſitiuit, cur, cùm poſſet, non hauriebat? ſi fortunas, ſi hæreditates ſubuertere cogitabat, cur eos omnes in ſuorũ bonorũ poſſeſſionem reſtitui, & redintegrari voluit? Sed ad aliud venio: vetus erat, & in hac terra vſitatus mos, vt inter Hibernos ſingularũ familiarũ gentium & Regionũ Principes quidam & Capitanei crearentur: Hij in populũ ſibi ſubditũ fædè vbique graſſabantur: vitæ neciſque poteſtatẽ in omnes liberã habebant: eam, non ex lege vlla, ſed pro libidine ſua exercebant: bona, terras, filias, vxores omnium, vt ſuas poſſidebant: Nemo ſibi arabat, nemo metebat, nemo liberos

procreabat, omnia in vnius impotentis Domini poteſtate erant: Nimirùm familiarũ Principes id olim Regibus noſtris perſuaſerant, populũ hunc barbarũ vſque adeò & ferocem eſſe, vt nulla lege regi poſſet: Itaque pro Domini arbitrio, & Capitanei libidine coerceri, & quaſi in vinculis haberi eum oportere, affirmabant: Hos igitur Capitaneos, hos Tyrannos, & Dominos, Ille, ſcilicet, huius gentis hoſtis, & publicę libertatis inimicus, amouendos eſſe primus omnium iudicauit; Cumque familiarum Principes hanc Capitaneatus dignitatem & munus auidiſſimè ambirent, eorum petitiones conſtantiſſimè reiecit. Et quamuis magnis id muneribus ab eo contenderent, ſemper tamen reſtitit, nec vlli vnquam dignitatem illã conferre voluit: dignum nimirùm hunc populũ, qui ſub legibus viueret, dignũ qui ſub clementiſſimi Principis Imperio, iniuſtorũ Dominorũ Tyrannidem vltra non pateretur, omnium primus iudicabat. Et hunc tu virum, Analecta, hunc tu Publicolã, & laudabili exemplo popularem, hunc populi huius commodis, non ſolùm benignè ſemper fauentem, ſed etiam omni cum cura & ſtudio ijſdem procurandis inſiſtentem, gentis huius hoſtem, inimicum, aduerſarium, belli facem & anteſignanũ nuncupas? Quid verò popularius dici? quid cogitari potuit? quàm plebem optimatibus, pauperes diuitibus, iniuſtiſſima denique ſeruitute oppreſſos, oppreſſoribus ſuis, Iuris & Legũ communione æquales reddere? Quod nunquam vtique fieri procuraſſet, niſi cum bello odium depoſuiſſet, & publicũ huius gentis commodũ priuatis ſuis rationibus prætuliſſet. Finge tamen

tamen iratũ aliquando, & vel ſuis vulneribus, vel fortiſſimi viri fratris ſui nece commotũ, ſe Hibernis perpetuò hoſtem futurũ iuraſſe. Attamen Iuramentum ſuum ad huius gentis commodũ, & ſalutem, ſplendidè violauit: At *pauper*, inquit, *ingreſſus diuitem inuenit, dines egreſſurus pauperem reliquit.* Nihil ego de illius hominis diuitiis hic dicam: tametſi qui ſub Rege Henrico, in Gallia, Regno Europæ opulentiſſimo, tot annos meruit: qui per omnia militiæ munera, ad ſummum demum dignitatis faſtigium in hoc regno peruenit: Næ tu illum aut eximiè in omni vita continentẽ, aut cùm ad huius Regni clauum accederet, minimè pauperem fuiſſe concedas, oportet Analecta. Ad Hiberniam venio; Pauper, inquis, ingreſſus, eam diuitem inuenit. Homo amentiſſime; quid putaſti? probaturum te iſta? quibus tandem? Indis fortaſſe, aut Perſis, aut alterius orbis Americanis: Gallis enim, Hiſpanis, Anglis, nulla vnquam oratione perſuadebis: quanto minùs tuis? qui temporum illorũ, ſqualorem, nuditatem, famem, ſuis ipſi corporibus tolerabant? Quæ enim vnquam tanta vllius terræ macies, deformitas, ſolitudo, vaſtitas conſpiciebatur, quanta tum in Hibernia apparebat, cùm Ciceſtrius illius gubernaculum tractare cœperat? vndè igitur hæc tanta animi tui cæcitas, Analecta, vt Ciceſtrium, quam terram diuitem inuenit, eam pauperem reliquiſſe dicas? quin potiùs, abſit verbo inuidia, quantum abeſt & arrogantia; quam inopem & ſqualidam inuenit, eam ſe, ſub ſereniſſimi Principis fœliciſſimo Imperio, & eius mandata (quod ſolùm ſibi vendicat) fideliter exequendo,

lautam & splendidam reliquisse gloriari potest.

Respons. ad calum. de expugnatione vrbium, & ciuium cæde.

Ecquæ verò grauiora de eo commemoranda restant? Grauiora: *Nam belli fax & Antesignanus, in pace classicum intonans, dum Montioyus Prorex Ciuitatibus indulgendum ratus, à morte Elisabetha Regina ciuibus pepercisset, quòd adornare vellent & publicè restaurare exercitium sua Religionis, ipse propior sæuitiæ quàm lenitati amplectenda, ciues occidione delendos & ciuitates funditus euertendas esse, & tum dixit, & nuper dixisse gloriabatur.*

Intelligo: Mortua fœlicis memoriæ Regina Elisabetha, Regni vrbes, clausis portis, & firmatis mœnibus, nisi cum Romanæ Religionis vsu, successorem recipere renuebant. Quid igitur? Tunè hanc tam fœdam defectionem, tam nefariam aduersus Regem coniurationem pacem vocas? aut, cum omnia iam ad nouum & nec opinatum bellum spectarent, tu Ciceſtrium in pace classicum cecinisse ais? At Montioyus indulgendum esse censuit: Satin certus? Cur igitur primo rei nuntio excitus, Vaterfordiam cum exercitu aduolauit? cur obsedit? cur & vrbem ipsam, & Iesuitam, nomine Vitum, defectionis authorem, sibi è vestigio dedi postulauit? cur & illam, & alias Regni vrbes, ad sacramentum Iacobo Regi dicendum adegit? cur denique Romanæ Religionis vsu tam seuerè interdixit? Quasi verò, hæc ita gesta fuisse nescias, Analecta; aut quasi tu hanc, tam probrosam lenitudinem Montioyo falsò non ascribas, vt cum eo Ciceſtrius comparatus, sæuioris ingenij esse videatur? Sed esto: Ciceſtrius vrbem delendam esse censuit: opinor, nisi se dederet; nisi imperata faceret, nisi Regem, legitimum Regni successorem

cessorem agnosceret. Nam si vir bellicosus in ea vrbe, quæ prima se dedere recusasset, exemplum statuendum esse censuit, quid est quod in eius indole vitiosum esse dicas? Multi enim, qui suopte ingenio à crudelitate longissimè abhorruerunt, ratione freti, graues interdum ab vrbibus per vim à se expugnatis, pœnas exegerunt. Finge tamen Ciceſtrium, non consilio sed ira, tristiorem tulisse sententiam: Nos togati, Analecta, quid ardor militaris possit, quo ferat, quid suadeat, non solùm nescimus, sed ne credere quidem, aut suspicari possumus.

Est hoc, inquis, ad Ciceſtrij excusationem aliquid, ad defensionem, nihil: agè igitur; defendam: & quod sæpè alias in hac causa feci, id hoc etiam loco faciam, & à te quæram, quo tu authore, quo teste, quo indicio, virum innocentia, mansuetudine, fide spectatissimum, huius, non facti, sed consilij, non consilij, sed cogitationis reum facias? Nam si tibi verbo dixisse, accusasse sit, vtique & mihi, verbo negasse, defendisse fuerit.

Itaque vt tandem aliquando, non rabie solummodò, sed etiam ratione aliqua, siue in Ciceſtrium, siue in Anglicanum in Hibernia imperium inuectus fuisse videare, aliquid, Analecta, è sinu profer, quod & crimen in se, & veritatem, & fidem habeat. Iam, inquit, habebitis: *Colonierum enim in Hibernia deducendarum semper author fuit.*: Istud verò ad rem vel maximè pertinere fateor: Nam nec Ciceſtrio authore deductas, nec in deducendis, grauiter, à nostris peccatum fuisse, sat commodè negare possum. Deductæ sunt enim plebeiæ, cum eas militares esse oporteret: ita nec viri fortissimi suorum labo- Pag. 241.

rum,

rum, periculorum, & vulnerum præmio carerent; & nos, aduerſus nouos & repentinos tumultus, ſi qui, te inſtigante, orirentur, firmiorem multo, quàm qui nunc eſt, in Hibernia murum & propugnaculum haberemus: nam Colonias omnino non deduci, haudquaquam placet, Analecta: Illud enim cùm ad Populi victoris Robur & firmitatem, tum etiam ad dignitatem & famam pertinet. Itaque Græci olim cum potentia & armis florerent, extra Græciæ anguſtias arma protuliſſe non contenti, nouam inſuper ſui generis propaginem exteris gentibus ſemper inſerere cupiebant: Hinc Aſiæ minoris littus Græcis olim Ciuitatibus refertum: Italiæ verò tota illa ora, quæ Græciam ſpectabat, adeo Græcis vrbibus & Colonijs abundabat, vt Græcia maior veteribus diceretur: Etiam in Galliam perualerunt Phocenſes, & Marſiliam ibi ſuam condiderunt: Quid deinde Romani? an non ſuas vbique terrarum colonias inſtituerunt? Quid in Gallia Narbona? Quid ad Rhenum Agrippina? Quid in Anglia Eboracum? An non omnes Coloniæ Romanorum? Quid igitur eſt quod in nobis tam acriter accuſas? vtrum Colonias iure deductas fuiſſe negas? an in deducendo, vltra modum in veteres Inquilinos ſæuitum eſſe contendis? non eadem, inquies, omnium Coloniarum poteſt eſſe ratio: fateor; de ſingulis igitur, quæ ſit ſententia, te interrogabo: Sex in Vltoniam, eodem Iure deductæ ſunt: Quæro, an ea opera iniuriam cuiquam illatam eſſe criminari potes? non potes maledice: omnes enim illæ terræ, Comiti Tyronæo, Tirconnalio, & alijs, Regio Diplomate, obliterata veterum delictorum offenſa, reſtitutæ

tutæ fuerunt: Quibus nouæ proditionis, & rursus læsæ maiestatis crimine damnatis, terræ ipsæ ad Dominum Regem redierunt: vt eas sui iam iuris & potestatis factas, cui vellet, sine cuiusquam iniuria, liberè & licitè donare possit. At, credo, veteres indigenas sedibus suis expulit, nec eorum quemquam infra Vltoniæ limites manere voluit: tantum hoc abest, vt multo plures in Vltonia Hiberni, quàm Angli & Scoti reperiantur: Nempe Rex prudentissimus, cum Hibernos & Anglos longo bellorum odio inter se conflictantes, & ipsum Vltoniæ agrum prælijs exhaustum & cultoribus vacuum inuenisset, vtendum occasione ratus, gentes inter se miscere statuit, veteres hostilitatis leges sustulit, matrimonij restituit: fore prospiciens, (nec eum sua fefellit spes) vt mutua consuetudine, alternis Connubijs, alijsq; vitæ officijs, & Reipub. rationibus conciliati, se eiusdem Ciuitatis Ciues esse noscerent, vni Regi parere discerent, nec aliam suam, aliam publicam, sed vnã & communem omniũ vtilitatem, salutẽ & rem esse intelligerent. Itaque frustra huius præstantissimi Consilij inuidiam in Ciceſtrium reijcere laboras: cuius ne laudẽ quidem & gloriam ipse sibi asserere, aut sine piaculo vindicare possit. Sed maius (opinor) eum scelus vrget, ex Colonia, in Kinselorum agrum deducta: fieri id quidem potest: Sed tamen te hic rursus interrogandum esse censeo: vtrum iure eam deductam esse negas: an præter rationem & modum in veteres Inquilinos grassatum esse putas? Quanquam de modo non est quod quæram: cum ex tam lato & spacioso agro, sedecim tantùm millia iugerum, *De Colonia in Kinselorum agrum deducta.* Pag. 253.

iugerum, antiquis possessoribus adempta esse, tu ipse Analecta, qui de magnis maiora referre soles, fateare. De iure igitur omnis mihi tecum nunc est controuersia. Nec tu quis, qualisque sit Regis titulus &
Pag. 254. possidendi causa, nescis. *Fucum*, inquis, *fecit animo Regis astutus Prorex, dum sponderet, se euicturum antiquissimum titulum, qui Regi competat: Iam inde ducta origine à Richardo secundo, qui omnia sua prædia & terras, quæ inter Wexfordiam & magnum Amnem propè Arcloum interiacent, in Dominum Beaumontium transcripserat, exceptis Comitis Ormoniæ (si quas habet) intra metas prædictas: vt ipsa loquuntur literæ Patentes Beaumontio conscriptæ.* Atqui benè est, Analecta, quòd cum terras in Hibernia omnes Regi nostro, vel amissis Dominorum Syngraphis, vel corruptela Iudicum, vel ex erosis, & mutilis scribarum notationibus, nouitèr acquisitas esse improbè modò mentitus esses, has nunc, de quibus & summa & sola est controuersia, & antiquo & certo Iure ad Regem spectasse negare nequeas. Sed & quod sequitur, videamus: *Iam verò*, inquit, *Beaumontij vnica hærede epupta Domino Louello, qui læsæ maiestatis reus factus, & in iudicio condemnatus, ius sanguinis & hæreditatis amisit, ex hac proscriptione hominis, & bonorum eius confiscatione, Coronæ accreuerat, quicquid ille possidebat: Vndè, & per istam deuolutionem, & per actum resumptionis, meritò se vindicem & assertorem totius Territorij Rex fecerit, si Proregi fides adhibeatur:* Et quid ni adhibeatur, docte Analecta? Regem enim Richardum iusto titulo possedisse non negas: quod si negares, extant tamen literæ, quibus omnes

omnes illæ terræ certo pacto & conuentione ab antiquis poſſeſſoribus in ius & poteſtatem eius deuenerunt: extant, inquam, non literarum exemplaria, ſed ipſæ literæ Arthuri, qui tum Lagęniæ Princeps erat & Capitaneus, & aliorum omnium de Kinſelia, id eſt, de Regione, de agro illo, in quem nunc Coloniam deductam eſſe quereris, manibus conſignatæ. Quid eſt igitur cur Ciceſtrio, hæc ram vera, tam certa narranti, fides non habeatur? niſi fortè Sacerdotem Romanum iuris peritia ſe efferentem, vel potiùs nefarium quendam leguleium, ſub Analectæ perſona Regis noſtri ius impugnantem audire malumus: Etenim *debuit*, inquit, *Ciceſtrius conſiderare, iſtam Richardi Regis conceſſionem Beaumontio factam, ampliorem eſſe non potuiſſe, quàm quæ primitùs obtigerat Regi & Sceptro eius, ex conuentione inita, cum Murchardidis & alijs ex Lagenia Barontbus.* Accipio: ea enim conuentione venit tota Kenſelia, tota Lagenûm Patria. Fateor, inquis, quoad vniuerſale Dominium, ſed non quoad poſſeſſionem, vſum & diſpoſitionem earundem. Audi igitur conuentionis & pacti verba. *Arthurus*, inquit, *mac Murrogh inrauit, quòd infra primum diem Dominicum Quadrageſimæ proximò futuræ, relinquet totum Patriam Lagenûm, ad obedientiam, vſum, & diſpoſitionem dicti Domini Regis.* Quod ſi terras illas ad obedientiam Regis reliquiſſet, nec aliud addidiſſet, ſolum fortaſſe Dominium tranſlatum diceres: nunc verò, cum vſum etiam, & liberam diſpoſitionem earundem relictam & traditam fuiſſe liqueat, quid eſt quòd tu ſolum Dominium tranſlatum eſſe dicas? At ſolus

In Rot. Hibernię.

In Rot. Hibernię.

fortasse Arthurus iure suo cessit: cæteri autem *Domicelli & Inquilini* (id enim te obmurmurantem audio) nec ipsi consenserunt, nec eius sponsione & pacto ligari potuerunt. Audi igitur porrò, quid in eadem conuentionis Scriptura sequatur: *Et subsequenter*, inquit, *per istam Indenturam conuentum & concordatum est, inter prædictum Dominum Regem, & ô Brynn, ô Moore, ô Millane, ô Morroho, Maccogha, ô Duni, Mackerelt, Dauid Moore, mac Manus, & omnes de Kenselia.* Vides, Analecta, nisi fortè inuidia, &, qui ex inconsiderata animi malitia prouenire solet, furor, tuos iamdudum obcæcauit oculos, vides inquam, non solùm cum Arthuro Capitaneo, verùm etiam cum inferioribus Lagæniæ colonis, adeoque cum omnibus de Kenselia, rursus dico, cum omnibus qui in Kenselia terras possidebant, conuentionem illam fuisse initam. Quid autem pacisebantur? *Iurarunt*, inquit, *quòd illi & omnes homines sui armati, bellatores, seu guerrantes, deliberabunt omnes possessiones suas in Lagenia, dicto Domino Regi, & quòd relinquent Patriam illam: deliberabunt*, inquit, quid hoc est aliud, quàm terras omnes, quas possidebant, Regi in manus optimo iure possidendas tradent? *Patriam relinquent*, id est, Regionem illam vniuersam Regi vacuam & nouis Colonis pro Regis arbitrio conferendam dabunt. Sed quæres fortasse, si Patriam suam relicturi erant, quò irent? quid agerent? hoc facto, inquit, *Dictus Dominus Rex, dabit eis & omnibus bellatoribus suis vadia competentia ad guerrandum & expugnandum alias partes occupatas a Rebellis Domini Regis, & dabit eis omnes terras, quas sic*

potuerunt aequirere. Vides Analecta, quàm non malignè, quàm ingenuè & apertè agam? nullum, ne leuiſſimum quidem ſcrupulum animo tuo inſidere volo: Sed ſingulis quibuſque, ſiue tuis, ſiue aliorum quæſtionibus, atque adeo cogitationibus occurrere & reſpondere cupio. Itaque quod boni illi Iuriſconſulti fieri poſtulant, & tunc quo Regis ius in terris illis vacillare aiunt, id ego nunc & illis & tibi, & uniuerſo terrarum orbi præſto; nec meis illud verbis, ſed productis tabulis, (hæc enim poſtulant) confirmo. Confirmo inquam, non ſolum Arthurum Murchardidem, ſed omnes Kenſeliæ Dominos, adeoque omnes Inquilinos, terras ſuas omnes Richardo ſecundo Anglorum Regi ſponte, purè, & liberè tradidiſſe: vt nullus tibi iam aut Iuriſconſultis tuis, aut negandi aut fingendi relinquatur locus.

Itaq; inanis iſte verborũ tuorũ ſtrepitus, non tam Arthuro Ciceſtrio conſiderandus erat, quàm tibi ſilentio continendus: Nam quòd ARTHVRVM ita ſæpè inculcas: mihi quidem is, cùm eo nomine ſit, non ſine numine, ad hoc tam præclarum opus acceſſiſſe videtur: Vt quemadmodum Prior ille Arthurus terras eas Regi Anglorum tradendi olim author fuit, ita hic alter reſtituendi eſſet. At enim longi temporis præſcriptione ſe tuentur Inquilini: At inquam, *nulla præſcriptio occurrit Regi:* Neque verò ſi res hæc inter priuatos verteretur, præſcriptioni locus eſſet; belli enim tempore annos ad præſcribendum vtiles non eſſe conſtat. Quis autem eſt, qui neſciat, quàm miſerè Hibernia centum iam ante annos, continuo ferè bellorum incendio,

nunc hic, nunc illic, nunc omni ex parte deflagrauit? nec tamen, vt tu Analecta somnias, *Endimionis* somnum interim dormiebant homines: Nam & Henrici Octaui tempore rem hanc variè agitatam fuisse scimus; & literas à sanctiore huius Regni concilio, ea de re, ad Regem scriptas legimus: In quibus Regi iure suo in illis terris ad Regni salutem vtendum esse monent. At enim sub Henrico Sydnæo Prorege pensitatio quædam illis indicebatur, illa autem pensitatio Colonos immunes præstare debuit. Immò verò fundum qui pensitaret, non suum, non liberæ conditionis esse, sed ad voluntatem Domini possideri scire potuerunt. Itaque quod ab Henrico Octauo, quod ab Eliz. Regina, præstari non potuit, id Dei benignitate à potentissimo fœliciſſimoque Jacobo Rege perfectum esse cernimus; qua in re, nemo iniuriam sibi illatã esse queri potest; Rex enim iure suo vtitur: Nemo damnum; antè enim agros Hiberni latiùs possidere quàm colere voluerunt. Nunc autem certo agri modo contenti, meliùs viuunt, quàm priùs, cùm latè disiectos agri campos nullo termino possiderent. Nec illi ipsi, quod agri adimitur, damno sibi esse ducerent, sed quod relinquitur, in lucro ponerent, nisi tuis, nequissime Analecta, & seditiosis quorundam hominum sermonibus ad diuersa studia præcipites agerentur. Quid enim, inquis, *hoc est aliud, quàm desperatos armare ad vindictã?* planè alia res est Analecta: Hoc enim modo & rudiores qui sunt Hiberni, ad cultiorem viuendi morem nostro exemplo trahi, & si qui res nouas aut latrocinia

cinia in locis illis montanis & ſylueſtribus, te auctore, meditantur, eos ne in apertam rebellionem prorumpant, noua hac Colonia, tanquam Præſidio impoſito contineri poſſe non dubitamus. At Ciceſtrius bellum hinc ſuſcitari poſſe ſperabat: quæro, quo ingenio? credo, vt vndecim annorum magiſtratum cum tanta ſua laude, & huius regni pace, opulentia, fœlicitate, actum, belli denique ciuilis, ac tumultuũ ſuſcitato incendio, deformaret. Neſcio, inquis, ſed hæc tamen ſagacium virorum de illo coniectura fuit; immò verò non ſagacium virorum coniecturam, ſed latrantium caniculorum aduerſus eum rabiem fuiſſe conſtat. Ecquid vult ampliùs Analectes? nil prorſus; ſed hic nunc demum cum Ciceſtrio in gratiam redire vult: eum monet *vt verſatilis ſuæ fortunæ* meminiſſe velit. Quaſi verò Ciceſtrius ſe eadem, cum vniuerſo humano genere, lege & conditione, aut olim natum fuiſſe, aut nunc viuere ignoraret. Quanquam ſi de illius innocentia & fide experpetua eius fœlicitate iudicium fieri æquum eſſe putat, quid Ciceſtrio ſanctius exiſtimari poteſt? nempe ex ſummo huius regni magiſtratu, in quo tot annos, tanta cum laude verſatus fuerat, in agrum ſuum, tanquam in portum tutiſſimum ſe recepit: nec ibi aut inops aut inglorius agit: ſed in maxima rerũ affluentia tertium in hoc regno dignitatis locum obtinet, & Thomæ Ormondiæ Comiti in ſummo Theſaurariatus officio, iudicio Principis, ſucceſſit: Cumque alij ſæpe Præſides quàm primùm magiſtratu abierint, vel in iudicium vocari, vel ſaltem opprobrijs lacerari ſoleant, hic in ſumma

Principis

Principis gratia, & ciuium charitate viuit: atque ita viuit, vt inuidiam, quam ex imperij fulgore fortè contraxerat, eo poſito, ſimul extinctam, & in ſummum omnium ordinum amorem conuerſam eſſe ſentiat.

Neque verò cum Ciceſtrio tantùm in gratiam nunc redit Analectes, ſed etiam ipſum Regem honorificè compellat; & totus ad laudes & preces conuerſus abit: *Exurge*, inquit, *Iacobe rex; tu gemma Principum, germen Hibernorum, culmen honoris noſtri, exorere ſtella Iuſtitiæ, reſplende radijs honorificentiæ tuæ.* Tu verò dic, Analecta, quem tu Regem hijs vocibus compellas? nam ſi noſtrum, an non is eſt, quem tu dudum Flaminem, Archiflaminem, Pontificalem Principem, Iulianum, & alijs abominandis nominibus appellabas, & Hiberniæ rex eſſet, necné, ſpecie quidem in dubium reuocabas, re ipſa planè Regem non eſſe affirmabas? Quis hic eſt ſtupor tuus? quæ animi cæcitas? quæ vecordia? An verò tu nefaria illa verba, quæ modò in Regem euomuiſti, ſic ei è memoria protenus excidiſſe putas, vt ſic ſtatim, te, *Iacobum Regem, Principum gemmam, & Hibernorum germen* intonantem æquis auribus exauditum iri ſperes? aut has tu voces tuas, veras preces, potiùs quàm intempeſtiuas & malè moratas interpellationes, cenſeri poſſe exiſtimaſti? Quid autem petis? *Permitte*, inquis, *tu cordatus Cyrus noſter, reſpirare populum tuum ſeruitutis tædio ſemiæstuantem:* ignoſcat verecundia; cogor dicere; mentiris Analecta: non hic populus ſeruitutis iugo premitur, ſed iuſtiſſima libertate, ſub prudentiſſimo Principe

Principe, cum longa & fœlici pace fruitur; nec in fornace ferreo Chaldæorum (quod tu fingis) detinetur, ſed ſibi arat, ſibi metit, ſibi res ſuas poſſidet: non infimi à ſummis, tenues à diuitibus, Coloni à militibus, vim aut iniuriam patiuntur; ſed plebs nobilibus, inquilini dominis, omnes omnibus iuris & legum prærogatiua exæquantur. Et hanc tu ſeruitutem, hunc tu fornacem Chaldæorum appellare audes? Quid ni, inquis, *niſi etiam permittat, vt poſſint, qui velint, cum Zorobabele ſuo ciuitatem ſanctam inuiſere, & muros Hieruſalem in circuitu luſtrare.* Vbi igitur? aut quis eſt nouus iſte Zorobabel, quem deſignas? ſiue enim te, ſiue alium quem hoc nomine cenſeri velis, quid habetis, cur vos, tales cùm ſitis, tam ſancto nomine ſplendere debeatis? An enim Zorobabel ille verus, diras voces, & execrabiles calumnias in Cyrum, in Perſarum imperium, & magiſtratus, vnquam eructauit? an ſibi, an ſummo Iudæorum Sacerdoti, an Pontificum Collegio, vitæ neciſque poteſtatem in Cyrum & Perſarum Reges vindicabat? Hoc Zorobabel non fecit. Itaque quantum inter verum Zorobabelem & nefandum tuum Caput intereſt, tantum etiam inter Hieruſalē quam nominas, & Babyloniam quam ſentis, diſcrimen eſſe reperitur: Nuſquam, inquam, ego Zorobabelem video, ſed *Ieſabelem Romanam*, mendicatis Eccleſiæ coloribus fulgentem, & per noua iſta Analecta, tanquam per foramina & feneſtras proſpicientem, & nunc pacem orantem, nunc conuitia iactantem, nunc bella minantem audio. Præcipitetur igitur deorſum: vt

omnes videant fæditatem eius; Tuque ô Deus, ô sancte Pater, & religionis, quam profitemur, veros Author, da iudicium tuum Regi, & iustitiam tuam filio Regis, vt fidem verè Catholicam, à Christo traditam, ab Apostolis prædicatam, & Euangelistarum tuorum scriptis, quæ veritas & vetustas sacra & sancta esse voluerunt, memoriæ hominum sempiternæ commendatam, in Regnis & Dominijs suis tueantur semper, & defendant, nec ingenuas Sanctuarij tui, saluificas Euangelij tui aquas, cum Romanæ Cisternæ sordibus miscери vnquam & confundi patiantur.

Amen.

Sit laus Deo.

FINIS.